


79 

# CASTIGA

TIONES LOCORVM QVORVN-

dā ex Bruto M. T. Ciceronis, & ex Orato-

re, & epistolis familiaribus eius

dem, adiecta nonnul-

lorū explica-

tione.

PER IO. RIVIVM ATTHEN-  
doriensem.



SALINGIACI, Ioannes Soter excudebat,  
Anno M. D. XXXVII.  
Mense Augusto.



# IO RIVIVS

ATTENDORIENSIS D. ANTONIO

Beuthero.

S. D.



V<sup>M</sup>, quæ ueteres illi scriptores, Antõni, monumēta nobis ingenii reliquere, ut optima quæq; sunt, ita uulgò deprauatissima circūferantur. præclare mehercule de studiis mereri uidentur, qui perquisitis ueris codicibus, ea suę restituere integritati, suoq; nitore, pro uirili studēt. Qua in re quàm strenuè sit à quibusdam & nostræ & proximæ memoriæ uiris doctissimis adlaboratum, non ignoras. unde factum, ut in numeri ferè autores, qui fuerant & iniuria temporū, & librariorum incuria mēdosissimi, in manus hominum iam uenerint multò, q̄ antè fuerint, emēdatiores. Quo nomine maxima illis iurè habēda gratia ē, qui quò studiis nostris prodesēt, nō dubitarint hūc cum difficilē & molestū, tum inuidiosum planè & multorū repræhensionī obnoxiiū suscipere laborē. Ac nescio profectò Antõni, quid in hisce ego præcipuè uiris mirer animi ne magnitudinē? qui nullā publicę utilitatis ergò inuidiā pertimuerint. an indefessam industriam: qui tantum deuorare tædii (neque enim odiosior labor est ullus) animū induxerint. an

## EPISTOLA

ingenii deniq; acumen? qui mendas solerti cura ue-  
 stigatas depræhenderint, depræhensas sustulerint, &  
 mirifica quadam dexteritate pristinū scriptoribus  
 nitorem, pristinam dignitatem reddiderint. Vnus  
 etiam restat M. Cicero, ille maximus eloquii Ro-  
 mani autor, & linguæ latinæ princeps, quem si emē-  
 datum haberemus, de cæteris iam minus sanè labo-  
 randum esse ducerem. Quinquàm ex hoc quoque  
 autore, incredibile dictu, quot & nostra & patrū me-  
 moria sustulerint mendas uiri quidam & ingenio &  
 doctrina præstantes. Ego uerò Antoni, ut in candē  
 causam incumberem, atq; in bonis emendandis au-  
 toribus aliquid operæ ponerem, persæpe à mei stu-  
 diosis rogatus, primò Terentiū ipsum, quo uix quic-  
 quam habet lingua Romana purius aut elegantius,  
 restituere sum conatus. Quid ea quasi prolusione  
 effecerim, aliorum esto iudiciū. Certè non defutu-  
 ros esse scio, qui plura ibi repræhendant, quàm lau-  
 dent, & eos quidem cum primis, ab quibus gratiam  
 me iniisse non mediocrem oportebat, & qui ut maxi-  
 mē laboris nostri indigent, sic minimē omnium ipsi  
 iudicium de eo facere possint. Quāquam calumniarum  
 quidem talium non ullā profectò Antoni no-  
 ua mi facies inopina ue surgit. Omnia præcepi, atq;  
 animo mecum antè peregi. ut ille canit maximus  
 omnium poëta. Nec ideo tamē ab honestissimo co-  
 natu, ne quem iniquorum sermoni ac uituperatio-

## DEDICATORIA.

ni darem locum, sum deterritus, nimirum quòd fo-  
 re sperarem, ut qui modò incorruptè atq; integre iu-  
 dicare & possent & uellent, boni consulerent sedulita-  
 tem nostram. Et mehercle audacia mea contrà, atq;  
 opinabar, id quod ualde equidem lator, bene tandè  
 uertit: ut quam præclari aliquot & excellentes inge-  
 nio atq; eruditione uiri cum sibi admodum proba-  
 ri, tum studiosis iuuenibus magno fuisse usui testen-  
 tur. Iam decreueram ab omni isto castigandi labo-  
 re porro abstinere, cum ecce Valentinus ad me Her-  
 telius uenit, homo & optimis studiis deditus, & no-  
 stri sanè perstudiosus, atq; adeò (uerè dicam) planè  
 alter ego: cuius de eximia morum suauitate, integri-  
 tate uite, præcipuo deniq; erga doctos amore, studio,  
 obseruantia, dabitur aliàs opportuniore dicendi lo-  
 cus. Ego medijsfidius uel hoc nomine multò me  
 omnium fortunatissimum esse puro, qui talem iam  
 olim nactus sim amicum. Quàm ille fideliter bene-  
 uoleq; nobis, cum res poscit, operam suam nauat:  
 Qua' fide, qua' dexteritate rem mandatam gerit atq;  
 exequitur? Quoties ultrò studium & officium suum  
 defert? Omitto, quòd idem semper omnium con-  
 siliorum nostrorum, si quid fortè grauioris mo-  
 menti incidit, particeps est: quòd cum eo ipse,  
 quæ me cunq; urunt, communicare soleo. Quoties  
 uerò idem & oratione sua, & quadam penè societa-  
 te a gurgitudinis, angorem animi nostri leniit: quo-

## EPISTOLA.

ties cū propè æquè gauderet, paremq; mecum de felici rerum nostrarum successu uoluptatem caperet, ad summam animi mei læticiam, illius gaudium quasi cumulus quidam accessit: Talis amicus Antoni hoc tēpore est, ut ille canit, Rara avis in terris, nigroq; simillima cygno. Hic igitur nuper à Chemnicio Hermundurorum cū uenisset, cū salutandi uisendiq; nostri causa, ut solet, tū ut spei ec' quid esset de partibus, quas habet in fodinis hisce argentariis sanè multas, præsens ipse cognosceret, multis inter nos ultrò citroq; uerbis habitis, incidit forte de Cicerone mētio quæ quoniã ille nunc quasi in deliciis habet, postulare à me, atq; ad eò flagitare cæpit, in eo castigando operè aliquid ut sumerè, & suo rogatu multis ea re prodesse conarer. Ego dum laborem istum recuso Antoni, quòd nec ingenii satis & doctrinæ ad rem tantā præstandam suppeteret, nec ullum mihi tribueretur uacuum tempus ac liberum, tamen nescio quopactò uolūtatì obsecuturus amici, locos in Cicerone plurimos sum castigare ingressus. Et quoniam perspecta mihi iam pridem est Vir humanissime, singularis tua erga me beneuolentia, sicut uicissim tibi amor in te meus idcirco ut exstaret aliquod mutux nostræ charitatis monumentum, uisum est hoc tibi deferre munus, & hoc quasi colloquium, hominum amicissimorū tecum mi Antoni communicare. Etenim flagiciū mihi facturus uidebar, si hic

## DEDICATORIA.

tantam testandæ palàm amiciciæ nostræ occasione  
nactus, eam prudens quodam modo sciensq; dimit-  
terem. Sed ne plura. Quid inter nos actum disputa-  
tumq; sit, hic tibi (quoniam ita commodissimum ui-  
deretur) quasi agatur res, nō quasi narretur, exponam.  
ut duos amicissimos inter seq; benevolentia, consue-  
tudinē, summa uoluntatum, studiorum, sententia-  
rumq; consensione, uita deniq; tota coniū-  
ctissimos tanquam colloquen-  
tes audias. Actum igitur  
Antōni  
dispu-  
tatumq; est ad hunc ferè  
modum.

(\*)

EORVM QVAE HOC DIA-  
logo tractantur,  
ELENCHYS.

|  |        |   |        |
|--|--------|---|--------|
| A.   |        | Locum ex Terentio uentilati             | 19     |
| <b>A</b> Cusationem facere                 | 31     | Locum ex 1. de Legibus                  | 62     |
| <b>A</b> Agere, pro effingere et exprimere | 75     | Locum ex epistola ad Atticum            | 77     |
| <b>A</b> Amimachus Clarus                  | 33     | M.                                      |        |
| B.   |        | Multimodus pro uebementer               | 45     |
| <b>B</b> ardi, pro stupidi & tardi         | 84     | N.                                      |        |
| C.   |        | Non scire apud Teren. pro nescire       | 57     |
| <b>C</b> alamistris inuere                 | 98     | Nouissimum, ubi nam apud Cicronem       | 75     |
| <b>C</b> innus, commixtio plurimorum       | 72     | O.                                      |        |
| <b>C</b> irculi                            | 37     | Optionem dare                           | 87     |
| <b>C</b> irculans                          | ibidem | Optionem facere                         | ibidem |
| <b>C</b> irculari                          | ibidem | P.                                      |        |
| <b>C</b> irculator                         | ibidem | Pericli pro Periclis                    | 13     |
| <b>C</b> ontumeliam facere                 | 56     | Plebes pro plebs                        | 17     |
| D.   |        | Ponere pro questionem ad disputandum    |        |
| <b>D</b> apud ueteres etiam solitum        | 49     | offerre                                 | 25     |
| <b>D</b> elationem facere                  | 22     | Postiores, pro recentiores & inferiores |        |
| <b>D</b> eponere                           | 6      | etatis                                  | 19     |
| E.   |        | Potest impersonaliter positum           | 90     |
| <b>E</b> i, pro ij                         | 36     | Q.                                      |        |
| <b>E</b> licere quid ab aliquo             | 48     | Questor                                 | 18     |
| H.   |        | R.                                      |        |
| <b>H</b> orunc, pro horunce                | 47     | Remetiri pro rependere                  | 12     |
| I.   |        | S.                                      |        |
| <b>I</b> n tutelam suam uenire             | 35     | Secundarius                             | 51     |
| <b>I</b> ra cur tumida dicta               | 80     | Sed, interdum pro sed etiam             | 54     |
| L.   |        | Seruire pro additum esse, & ad aliquid  |        |
| <b>L</b> am in dicendo                     |        | magno se studio dedere                  | ibidem |
| quid                                       | 89     | T.                                      |        |
| <b>L</b> am dicendi                        |        | Thucydidi pro Thucydidi                 | 12     |
| quid ibidem                                |        | Tutillare, & tutillatio metaphoricus    | 85     |
| Locum aliquot Nonij                        | 4      | Tuatim, pro tuo more                    | 4      |
| Locum restitutum obiter ex Verr.           | 87     | V.                                      |        |
| Locum ex Tuscul. 111, correctum            | 24     | Verum, pro utrum etiam                  | 55     |
| Locum ex Laetio                            | 35     | Verbanas                                | 82     |
| Locum ex 1. Off.                           | 34     | Finis.                                  |        |

quo differant.





VAM uellem Riūi, quod in Terentianis castigandis corruptis & deprauatis locis præstitisti, in Cicerone castigando præstare tibi lubêret. Nam cum semper cupieris bene de studiosis mereri, quare alia

possis aut plus afferre studiis utilitatis, aut maiore apud ullos gratiã inire, quàm si â mendis uindices, eloquentiæ Romanæ parentem? RI. Ego uerò Herteli, si quid emendandis Comici nostri fabulis iuuetuti profui (ut non nihil profuisse puto) est sanè cur gaudeam. Nam iuuenum studia promouendi spe, istum omnium quidē odiosissimum suscepi laborem. Ceterū in Cicerone ut aggrediar, quod sum in Terentio conatus, nō mehercule adduci possum. Ne uerò, ne me Herteli ad hoc oneris subeundum impellas. Alia ipse olim ratione, si uita suppetet, etiam si hunc defugero inglorium laborem, prodesse aliis possum. HER. At ego Riūi, sine ulla dubitatione sic statuo & iudico, plus eos studiis afferre utilitatis, qui bonis autoribus emendandis, & in his cū primis Cicerone, operam sumūr quàm qui nouum aliquid suo ipsi Marte condunt. RI. Credo Herteli, & se ita res habet. Sed interim plus alterum gloriæ parit. HER. Si bene te noui, magis tu iuuentū utilitatē, quàm gloriolam spectas. Quanquàm cur

IN M. TVLLIVM CICERONEM;

parum gloriosum existimes Rii, si in eo labores, ut sint opera, studio, labore tuo emendatiora monumenta Ciceronis, non sanè coniiicere possum. RI. Atqui non cogiras, quàm sit isthæc & difficilis & inuidiosa res Herteli, castigare bonos autores. Nam cum exemplaria ipsa manuscripta, quibus utèdum, innumeris ferè scatent erroribus, & animi coniectura plærunq; fallit: tum ipse castigantis labor molestissimus in plurimorum sæpe reprehensionem incurrit. HER. Tu ne uerò publicam Rii utilitatè negliges, ne quid inuidiæ subeas aut criminis? RI. Iam quidem in hoc ipso ualde erras Herteli, qui me etiã huic parè negocio credas. HER. Ita prorsus existimo (nec me putes hoc auribus tuis dare) si uelis Rii, posse te hac parte plurimũ studiis prodesse. RI. Næ tu faceret nos rides, cum ista dicis. HER. Ne uiuam mi Rii, si aliter loquor ac sentio. Et nosti puto simplicitatem meam. RI. Credo equidè, te sedulo isthæc ex animoq; loqui. etenim cuius in moribus nihil unquam simulationi fuerit loci. Sed amor in me tuus Herteli facit, uti magnificètius de me sentias, quàm pro re. Ego uerò hunc laborè non tam mehercule uoluntate refugio, ut tu suspicari, quàm desperatione reformido. Itaq; mihi uidendũ etiam atq; etiam, ne dum tibi uelim rogãri obsequi, temeritatis & impudentiæ crimen subeam. HER. Tibi ita uidetur Rii, at ego tantum abfore credo;

ut sis aliquam in uituperationē casurus, si hoc munus susceperis: ut uel conatus ipse rei honestissimæ tibi sit magnæ laudi futurus. Nosti illud in magnis & uoluisse sat est. RI. Imò hercule suscipere & aggredi, quod efficere non queas, stultum & temerariū est. Itaq; committere uereor, ut onus suscipiam, sub quo concidam. Scis uersandum esse diu (ut ille monet) qd ferre recusent, Quid ualeāt humeri. HER. Si ita isthuc certum est Riui, quanquam obsecuturū te homini amantissimo tui speraram, nolo posthæc molestus esse. RI. Ego Heriēli (uerè loquar) propter singularem tuum erga me amorem, quauis in re cupiō obsequi tibi, sic medius fidius, ut homini nemini magis: sed hoc mihi uelim affirmāti credas, maius hoc esse quod petis, quā ut à me præstari queat. HER. Adducis me, ut sic asseueranti credā, coq; facilius, quòd mirificum semper gratificandi mihi studium præ te tuleris. Verūm age, quonā iam uacui sumus, locum unum atq; alterum ubi quidam uelut in salebra hærent mihi declares uelim. Atq; ut aliud ex alio, illud Riui libenter audierim, rectē ne uulgò legi putes uersus illos Ennianos de M. Cethego, in Bruto Ciceronis

Additur orator Cornelius, suaui loquente

Ore Cethegus, Marcus studio, collegam filius.

Mihi sanè corruptè sic legi uideretur nam quem rando colligas ex posteriore uersu sensum? RI. Rectè

IN M. TVLLIVM CICERONEM,

tu quidem Hertēli. Sunt enim extrema illa, ad hunc legēda modū, Veturio collega Philoni. HER. Vnde uerò istā cōiecturam facis? RI. Ita uetus quoddam habet exemplar. HER. Dii boni, quanta loci unius deprauatio? Simili hodie, ex affinitate uocū, errore sic apud Nonium ferè hoc Terentii, Desperii, Ctesiphonem audiui, Philumenam affuisse in rapione cum Aeschino. Philumenā, pro filium unā. Verum hæc culpa librariorum, ni fallor. RI. Est Hertēli, ut dicitis. HER. Illud apud eundem, haud scio, an memorię sit errore cōmissum, quod ex Amphitryone citat in hunc modū. Eccere, iam tuatim facis, pro tuo more, inquit. nam hodie ferè,

Nonij loci aliquot ventilati.

Tuatim, pro tuo more.

Eccere, iam tu autem facis, ut tuis nulla apud te sit fides.

RI. Mihi Hertēli (pace tua dicā) Nonii lectio bene habere uidet. est enim sensus. Facis here, sicut tuus est mos, nimirum parum ut tuis credas. Forfan insolentia uocis offensus quis locum cum corrigere uellet, deprauauit. Meminerunt autem huius particulæ Tuatim, præter Nonium ueteres illi atq; insignes Grammatici, Donatus, Sergius, Diomedes. Nam prius illud (ut & tu rectè suspicare, & tibi ego sum assensus) librarii mendū est. HER. Sit ita sanè. etenim de eo tecum non luctabor: Tamet si (ne quid apud te dissimulem Rjū) sæpe mihi Nonius memoria labi uidetur, sæpe perperam autores citare. RI.

IO. RIVII CASTIGATIONES.

Hic tibi assentior. HER. Vt enim prætereā illud Virgilii, Demissum lapsi per funem, ubi Nonius dimissum, haud scio quā rectè (quanquam cum de utroq; ibi & demittere & dimittere agat, inuersus incuria quadā uideri potest ordo) quid hoc Riui, quod quo loco idem testatur merum, pro sincero accipi, ex II de oratore citat in hunc modum. Ecce tibi exortus est Isocrates magister istorū omnium, cuius è ludo tanquā ex equo Troiano, meri principes exierunt. cum hodie ferè innumeri principes legatur.

RI. Quanquam ipse Herteli uulgatam hodie lecti onem sequor, tamen quod ad sensum attinet, haud malè fortasse Nonius. HER. Cur ita Riui?

RI. Quia cum Cicero non semel testetur, de cuius Isocratem eos, qui partim in dicēdo, partim in scribendo principes extiterint, eiusdemq; domum cunctæ Græciæ quasi ludum quendam patuisse atq; officinam dicendi. cumq; Fabius Isocratis scholā principes oratorum dedisse affirmer, utrum uis legi posse arbitror. ut uel iuxta Nonii lecti onem, egregios eximiosq; principes, uel iuxta uulgare, quā plurimos intelligas. Neutrum uerò reiicit fabula equi Troiani, ad quā Cicero respexit. HER. Sed ut illud quoque omittam, quod sic ex Hecyra idem. Quis me est fortunatior? uetustatisq; adeo plenior? cum sit ubique ferè uenustatis, idq; rectius. Non esse autē confendam in librarium culpam, quæ proximè præce-

IN M. TVLLIVM CICERONEM,

dunt, uerba declarant. Verustas & antiquitas uel felix, uel sapiens, uel mansueta est habita. subiecto statim ad hoc comprobandum exemplo Terentiano.

RI. Istuc ipsum Herteli & nos obseruauimus in Castigationibus nostris. HER. Credo Hoc igitur ut omittam Riui, cuius modi tandem est, quod adnotauit idem, culest apud Plautum, pro qualis est, neutro positum pro masculino, hoc uersu, Aedepol condignum donum, culest qui donum dedit. ut quidem ipse citat? Quis enim non malit dicere, non genus mutatum, sed tynalcephani esse factam, abiecta more ueterum litera s. ut sic legas: quali sit qui donum dedit? RI. Est isthuc quidem Herteli aliquid, praesertim cum nullum praeterea ex alio autore locum afferat. Sed est apud eundem, quod magis mirere: nam sic illum ex Aulularia Plauti uersum citat:

Nimium lubenter edi sermonem tuum.

HER. Quid si librarii uicium est? RI. Non est.

Deuorare  
pals. p. p. u. u.

Verba Nonii sunt. Deuorari non solum cibus gutture, sed & uox auribus potest. Plau. Asinaria. Auscultate, atque operam date, & mea dicta deuorare. & Aulul. Nimum lubenter edi sermonem tuum. Ita Nonius. HER. Quo nam modo est in manuscriptis? RI. Audiui. HER. Quid? constat, ne uersus, si sic legas? RI. Constat, si in metiendo, u in syllaba ultima elidas: sicuti faciunt in Enimvero & Inuidia Comici (cuius Priscianus meminit) & Catul.

21

IO. RIVII CASTIGATIONES.

in uerbo Iuuerint. Sed & proximus uersus cum uulgata lectione facit. An audisti quæso? EV. usq; à principio omnia. HER. Videlicet hinc liquet, Nonnum cum hoc, tū aliis in locis memoriola uacillasse. RI. Ita uidetur. HER. Sed illud tamen Deuorate, in uersu ex Asinaria citato, probè quadrare uidetur, quidni igitur hoc alterum, Edis? RI. Nimirum in illo Comicus personæ seruiuit, ob rem bene gestam (ut fit) insolentia uerborum quasi lasciuienti, ac seruiliter exultanti. Habet enim in more Plautus, ut in personis seruorum, dum decorum tuetur, etiam ipsa perueritate loquendi, risum moueat, & plausum capter. Tale in altero nihil. Nisi quis dicere fortè ausit, immensam quandam senis hoc uerbo auiditatē auscultandi, mirificamq; de sermone alterius uoluptatem indicari. quam & superius idē non obscurè præ se tulerit, cum ait. Ita me dii amabunt, ut ego hunc ausculto lubēs, Nimis lepidè fecit uersa ad parsimoniam. & iterum. Compellarem ego illum, ni metuā, ne desinat memorare mores mulierū. nunc sic sinā. Non est autem Plauto nouum aut insolens, uerbis uti paulò nōnunquam durioribus. Nam & in Mostellaria, gustare sermonem dixit, pro aucupari & capere. Herus meus hic quidē est, gustare eius sermonē uolo. & in Pseudolo, obsonare sermone. HER. Adducis me, ut tibi assentiar. Sed amabo mi Riūi, si quos alios præterea ex codē Bruto locos obseruasti

IO. RIVI CASTIGATIONES.

(obseruasse autem credo plurimos) exponas quæso.  
 RI. Ego uero per paucos quos tecum, si placet, comu-  
 nicabo. HER. Mihi uero Rivi placet. nam periu-  
 cunda mihi semper fuit huiusce Dialogi lectio. RI.  
 Nec mehercule iniuria. Nam cum uir in eloquentia  
 summus, M. Cicero, de oratoribus loquens, aliorum  
 in dicendo uirtutes, aliorum uicia ostendat, ad rectè  
 iudicandum, & ad bene dicendum multum hic liber  
 conferre uidetur. Etenim in tanta copia oratorum  
 quos recèset, horum probat naturalem in oratione,  
 non fucatum nitorem: illorum in uerbis splendorem  
 & magnificentiam, in sententiis acumen & prudenti-  
 am: quorundam incorruptam quandam Latini ser-  
 monis integritatem: nonnullorum in dicendo urba-  
 nitatem, leporem, suauitatem, multas & cum graui-  
 tate facietias. Præterea aliorum copiam, & expeditam  
 ac profluentem quodam modo celeritatem uerbo-  
 rum: aliorum in inueniendo acumen, in componen-  
 do diligentiam, in agendo dignitatem: quorundam  
 delectum uerborum elegantem, & aptam quasiq; ro-  
 tundam constructionem: nonnullorum cum in sen-  
 tentiis argutiam & concinnitatem, tum in docendo  
 disputandoq; subtilitatem. Ad hæc, aliorum ornan-  
 di causa à proposito egressionem: aliorum aut ad de-  
 lectandum iucunditatem, aut ad permouendum in-  
 flammandumq; uim ac uehementiam. Contrà, quo-  
 rundam damnat uel inopiam & ieiunitatem, uel in-



IO. RIVII CASTIGATIONES.

fulsitatem, & insolentiam, & tanquam insaniam quamdam orationis quorundam cum in inveniendis rebus tarditatem, tum in agendo ineptitudinem quorundam inflatum & corruptum, nonnullorum etiam exile, nec satis populari assensionem accommodatum orationis genus preterea quorundam aut inusitata, abiecta, humilia, dura, horrida uerba, aut unum atque eundem suumque semper similem orationis tenorem quorundam inconditum genus dicendi, subagrestem & subrusticum uocis sonum, gestum denique motumque parum uenustum. Cuncta haec igitur mi Herteli, plurimaque alia Cicero cum ostendat, non uoluptate modo afficit huius Dialogi lectio perspicendis plurimorum oratorum ingeniis ac dissimilitudinibus, sed facultatem quoque auget, uaria inter genera diiudicandi & cum iucunditatis ad delectationem multum, tum utilitatis ad scientiam affert longum plurimum. dum uidelicet quid cauendum uitandumque in oratione sit, quid contra lectandum atque imitandum, propositis aliorum exemplis docet. HER. Sanne Riui, ut dicis. RI. Ergo codicem ipsum est bibliotheca mea proma non memoriae non magnopere fido. HER. Heruagius in excudendo Cicero, magna mihi adhibuisse diligentiam uidetur. RI. Admodum Herteli & est ille quidem hoc nomine bene de studiosis meritus, proinde sanne ac Crahtander. Verum cum non queat unus omnia restituere, quae aut temporum iniuria sunt, aut librariorum

IN M. TVLLIVM CICERONEM,

incuria deprauata, non est, cur de industria eius uiri queramus. Sed si uiderur, confidamus hic in bibliotheca. etenim sedem habet huic colloquio nostro peropportunam. HER. Sanè istud est Riui sum enim, ut uides, admodū fessus. RI. Video sed unde quæso? HER. Vnde qui in fodinam hodie descenderim, altam orgyas ferme centum. RI. Memini nempe illam dicis in monte Roseo? HER. Istā ipsam Riui. RI. In quam tu magnos iam pridem sumptus facis. HER. Maiores quidem quàm uellē. RI. At uide, ne tandem & operæ & impendii pœniteat. HER. Qui intelligētia rei metallicæ præstāt, haud temere cœpto desistendum esse suadent, idem ad aurem obganniendo. Audentes fortuna iuuat. RI. Tu uerò ita demum audax Herteli fueris, ne temeritatis olim, magna rei familiaris iactura, pœnas dare cogaris. HER. Melius ominare Riui. Ego me breui Crassum spero futurum. RI. Vtinā quidē. Nam quid mihi optatius accidere amico tuo queat? Sed unde isthuc tibi sperare in mētem uenit? HER. Hanc mihi spem faciunt cum alii pleriq; rerum metallicarum periti, tum (ut de multis unum proferā) noster ille Hulderichus, quo de mirificè tu Riui & sentis & loqueris. RI. Sanè is de rerum metallicarum peritia, ualde ab omnibus prædicatur, & utriq; nostrū ex animo cupit ac fauet. Quin & cunctos liberalibus studiis deditos uehementer & amat

IO. RIVII CASTIGATIONES.

& obseruat in quibus & ipse quondam operę nonni  
 hil posuit. HER. Est Rivii, ut dicis. Sed & illud cuius  
 modi esse censes, quod innumeri ferè metallici,  
 eius unius opibus sustentantur, fame (ut audio) pe-  
 riclitaturi, absq; eo essent? RI. Ergo mehercule di-  
 gnum iudico ista fortuna, atq; istis opibus, quas est  
 ex argentariis nactus amplissimas, idq; nullius cum  
 detrimento aut iniuria, sicuti uirum probum decet.  
 HER. Ego Rivii Mariebergum (uerè dicam) præter  
 quàm quòd non argenti fodinis tantùm, & metallo-  
 rum opulencia censetur, sed & salubritate cœli atq;  
 temperie, & soli fertilitate, & hortorum pratorumq;  
 amœnitate, opacitate nemorum, fontium uberrate,  
 aquarum copia, nulli finitimarum urbium cedit, uel  
 dicam principatum tenet: maximè tamen hoc uiro,  
 secūdam principē gloriari posse iudico. RI. Cur  
 ita tandem? HER. Quòd tam pulchris magnifi-  
 cisq; ipsum ædificiis monumētisq; exornet, tot me-  
 tallicos sua pecunia sustentet, auxilio consilioq; cū  
 singulos priuatim, tum publicè cunctos iuuet. RI.  
 Vera narras Herteli. Sed quid si eiusdem tidisses in-  
 structissimos cultissimosq; hortos, muro in quadrū  
 cinctos: Quorum amœnitas omnium sermone cele-  
 bratissima, plurimos ad se uisendum hospites allicit,  
 honestissimaq; uoluptate moratur & tenet? Quos  
 tu Syrorum præ his, quos Adonidis aut Hesperidū  
 (sidiis placet) quos Alcinoi non contemneres? Huc

IN M. TVLLIVM CICERONEM,

ille inuitare interdū amicos, hic se oblectare, & oculos animumq; pascere solet. Diceres uerè dignā Musis sedē. HER. Credo isthuc Riūi. Sed nunc, quod cœpimus, si uideatur. RI. Bene hercule mones: ni mis iam dudū proposito aberramus. HER. Sic est. RI. Quin labebar longius, ni me reuocasses. Ita admiratio quædam summi uiri, prouehebat orationē meam. Sed nunc ad id, quod agitur. HER. Censeo equidem. RI. Occurrit igitur locus, ut mihi uideatur, corruptus, primo statim folio: nam ubi uulgò. cū patrociniū pacis exclusum est, aut terrore hominum, aut timore. Legendum errore hominum. quod quidem cū ex Ligariana, tum ex ea, quæ pro M. Marcello inscribitur, colligi oratiōe potest. Nā pro Ligario sic inter cætera Cicero. Scelus tu istud uocas Tubero: cur? isto enim nomine illa adhuc causa caruit: alii errorē appellant, alii timorem: qui durius, spem, cupiditatem, & quæ sequuntur. post, aliter ab initio folio, sic hodie ferè. Ego autem uoluntatem tibi profectò emetiar, sed rem ipsam nondū posse uideor. HER. Quid hic deprauatum putas? RI. Mihi remetiari legendum uidetur, quantū quidem uel ex proximè præcedentibus, uel è statim subsequentibus cōiectura assequi licet. Est autem remetiri, repēdere, & paria facere. Sic uerò ut legas, sensus ipse exposcit. Nam paulò antè remunerationis mētionē fecit, & referendæ gratiæ, citato illo Hesiodio,

Remeti-  
ri, pro re-  
pendere.

IO. RIVII CASTIGATIONES.

24

quod eâdem mensura reddere iubet, qua acceperis, aut etiam cumulatiorē, si possis. Est autem elegans, ut uides, translatio. HER. Est sanè · ac miror, unde nam ille irreperit error ( si error est ) ut emetiatur ferè habeant codices. RI. Quasi non potuerit una ab oscitantibus librariis literula omitti. Et scis, quàm facile de uno aliquo exemplari corrupto, mendæ in codices ex illo descriptos, atq; inde porrò in alios atque alios propagentur. HER. Fateor. RI. Quo loco de Alcibiade, Critia, Theramene Cicero, uulgò quidem ad hunc modum · Quibus temporibus quod dicēdi genus uiguerit, ex Thucydidis scriptis, qui ipse tum fuit, intelligi maximè potest. Romanū Thucydidis, pro Thucydidis, uerò uolumen, ex Thucydidis scriptis, quæ mihi uera esse germana; lectio uidetur. Vitare uoluit (opinor) asperum illum Cicero, & insuauem cōcursum literarū, & geminatum sibilum · propterea S detraxit de illo Thucydidis · ut & aliàs interdū, uelut pōst de M. Cethego loquens · Vt quā deam in Pericli labris Pericli, pro Periclis, scripsit Eupolis sessitauisse, & quæ sequuntur · Nam præter quàm quòd sic uetus habet exēplar, citat eodem modo semel atq; iterum Politianus. Idem II. de Oratore. Omnes etiam tum retinebant illum Pericli succum. Sic enim est in antiquioribus. ubi Heruagius Periclis. Et hic Cicero iucundioris sonitus causa S detraxit. Persius quoque Satyra III. Quo fretus, dic hoc magni pupille Pericli. Sic Ver. III. Cicero,

IN M. TVLLIVM CICERONEM,  
 quod Priscianus obseruauit. In Timarchidi potesta-  
 te, sociorum populi Ro. antiquissimorum atq; ami-  
 cissimorū liberos, matres familiâs, bona fortunasq;  
 omneis fuisse. pro Timarchidis. qui tamē locus nūc  
 corruptè legitur, nō tam opinor incuria librariorū,  
 quàm temeritate sciolorum. Sic Diocli, VII Ver. pro  
 Dioclis. Idem ad Atticum IX. Et odia improborum  
 rursus in nos, quæ iam extincta erant, incendamus,  
 & Luceii consilia ac Theophani persequamur. pro  
 Theophanis. & iterum Ariarathes Ariobarzani fili-  
 us Romam uenit. pro Ariobarzani. Itidem Virgi-  
 lius, acris Oronti, I. Aen. pro Orontis. Terentius,  
 Archonidi pro Archonidis. ut ante eum Plau. Aga-  
 rhoeli & Callicli, pro Agathoclis, Calliclis. Sic & Sa-  
 lustius, ad bellum Persi Macedonicum, pro Persi-  
 id quod Probus adnotauit & Cicero (ut idem) Filiū  
 inquam Verri, pro Verris. Sed quid in re peruulgata,  
 & tibi non incognita Hertēli, operam perdo? Con-  
 fuisse ueteres S literam, huius modi nominum geni-  
 tiuis detrahere, testatur (ut alios omittam) Prisc. VI.  
 HER. Nō medijs fidijs dici Riūi potest, quàm me  
 hæc obseruatio tua delectet, & isthæc in minimis  
 quoque rebus diligentia. RI. Non hic alia de cau-  
 sa longior fui, quàm ut temeritatem Hertēli perspi-  
 ceres eorum, qui in bonis illis autoribus (quos de in-  
 numeris reliquos iniuria tēporum fecit) tam facili-  
 immutant, si quid deprauatum esse rentur. Sed ad in-

IO. RIVII CASTIGATIONES.

stitutum. Vbi Cicero ante Isocratem uerborū quas  
 si structuram, & quandam ad numerum conclusio-  
 nem, nullā fuisse ait, sequitur aut si quando erat, non  
 apparebat eam dedita opera esse quæ sitam, quæ for-  
 sitan laus sit, Veruntamen natura magis tum, casu'  
 que nonnunquam, quàm aut ratione aliqua, aut ob-  
 seruatione fiebat. Hæc uera (ut opinor) lectio, quæ &  
 exemplaris uetusti consensu firmatur. licet paulò se-  
 cus Heruagius. Cæterū apud Prisc. quo loco de nu-  
 meris oratoriis agit, hæc ita legūtur. Veruntamē na-  
 tura magis tunc, casuq; nonnunquam, haud ratione  
 aliqua, aut ulla obseruatione fiebat. Sed est memorię  
 forsan uiciū. HER. Ita quidē uidetur. RI. Paulò  
 pòst. Nam planè quidem perfectum, & cui nihil ad-  
 modum desit, Demosthenem faciliè dixeris. Hic alii  
 in quo nihil admodum quomodo alicubi Budæus  
 sed prior illa mihi lectio magis arridet. Quamuis &  
 Fabius eodem ferè modo, Vt nec quid desit in eo (in-  
 quit) nec quid redundet inuenias. de Demosthene  
 loquens. Sed ego ad Inuenias referri, in eo, malim.  
 HER. Nō ægre ferēs opinor, si leuibus de rebus per-  
 cunctans, interpello orationem tuam. Nam omnē  
 ego non in maximis solūm, sed & minimis tenuissi-  
 misq; rebus turpem esse errorem duco. Nec mou-  
 quam discere pudeat, quod ignoro, dum qui doceat  
 habeam. Igitur mi Rivii scire ex te optarim, antè quā  
 ad ulteriora pergās, quid nā sit, nihil admodū desit,

IN M. TVLLIVM · CICERONEM,  
in loco suprà dicto. RI. Non me fallit ironia tua,  
cùm manifestam rem & nulli obscurā Hertēli qua-  
ris. Est uerò sensus: Demosthenem sine cōtrouersia  
summum esse & prorsus perfectum oratorē, & quo  
in oratore nihil omnino desideres. Nec enim igno-  
ras, admodum pro eo interdum quod est planè atq;  
omnino accipi solitū quomodo postea Cicero, Cu-  
rio (inquit) latinè non pessimè loquebatur, usu cre-  
do aliquo domestico: nam literarum admodum ni-  
hil sciebat. pro, nihil omnino literarum. nam hunc  
quidem esse sensum, ex his, quæ de eodem sequuntur,  
colligi uerbis potest. Neminem (inquit) ex his qui-  
dem, qui aliquo in numero fuerūt, cognoui in omni  
genere honestarum artium tam indoctum, tam ru-  
dem. Nullum ille pœtam nouerat, nullum legerat  
oratore, nullam memoriam antiquitatis college-  
rat, non publicum ius, non priuatū & ciuile cogno-  
uerat. Nisi quis malit, hic pro ferè esse positum, quo  
in significato plærung; uel signo generali negatiuo,  
uel particule numerum notanti additū reperi apud  
primę notę scriptores. uelut II. de Oratore: Sed cùm  
alter non multum quod quidem extaret, & id ipsum  
adolescens, alter nihil admodum reliquisset. pro ni-  
hil ferè reliquisset. T. Liuius. Sex millia hostium cæ-  
sa, quinq; admodum Romanorum nunciatum est.  
Idem. Armorum hostilium magnam uim transtu-  
lit, nullam pecuniam admodum. pro nihil ferè pēs



ennia. Rursus Natura locus iam antè præceps, recē  
 ti terræ lapsu, in pedum mille admodum altitudinē  
 abruptus erat. Sed quorsum tādē attinet plura de  
 hac re exempla, quæ sunt penè innumerabilia, conse-  
 ctari? HER. Mihi yerò Riūi est abunde satis abs-  
 te factum. Itaq; ad institutum iam, si uidetur. RI.  
 Proxima pagina, ubi de morte Themistoclis Cice-  
 ro, sic illud ibi legendū. Quare quoniam tibi ita qua-  
 drat, omnia fuisse in Themistocle paria & Coriola-  
 no, pateram quoq; à me sumas licet. Perperam est  
 omissum Ita, in recentioribus. Pòst, ubi M. Valerii  
 meminit illius, qui dictator sit ad sedādas discordias  
 creatus, sic uulgò. cūm plebs prope ripam Anienis  
 ad tertium miliarium consedisset. Verustus codex,  
 cūm plebes prope ripam Anienis. Scis autem fre-  
 quēs apud autores esse plebes, pro plebs. ut apud an-  
 tiquissimos trabes pro trabs. T. Liuius II. ab urbe cō-  
 dita: Timere relicta ab suis plebes uiolentiam patrū.  
 & VI. Hac uictoria contenta plebes cessit patribus.  
 Sic aliās apud eūdem sæpe. Sed & apud Tacitum fre-  
 quenter, & Lucanum, & Gellium ita reperies. Eius  
 genitius est plebei, quo Plinius utitur X VIII. histo-  
 riæ naturalis, capite III. Vndecimus plebei tribunus.  
 pro plebis tribunus. Sed & datiuo idem XIX. capite  
 IIII. Mirum esset, non licere carduis pecori uesci.  
 non licet plebei. & alibi. plebei admodum gratus.  
 Quin hoc ipso dialogo, quo loco sit de M. Popilio

Plebes,  
 p plebs

IN M. TVLLIVM CICERONEM,

mentio, sic illud in exemplari Veneto legitur. plebei contra patres cōcitate & seditione nunciata, ut erat lena amictus, ita uenit in concionem. pro eo quod nostri codices. plebis concitatione & seditione nunciata. Cæterum non multum refert, hic utrū legas, plebes an plebs. HER. Assentior Riūi. RI. Quo loco Cicero de Originibus Catonis loquens, obiter in mentionē incidit Philisti Syracusii & Thucydidis, uulgò quidem ad hunc modū. Nam ut horum concilis sententiis, interdum etiam non satis apertis, cū breuitate, tum nimio acumine, officit Theopompus elatione atq; altitudine orationis suę, & quę sequuntur. G. uerò Budæus, uir memoria nostra, cū ingenio doctrinaq; præstans, tū in rectè citandis autorum scriptis, supra quàm aut dici aut credi queat, diligens, hunc adducens locum, primum in annotationibus suis in Pandectas iuris. dein in Commentariis linguę Græcæ, omittit ista uerba, cū breuitate, tum nimio acumine. testaturq; locum corruptè impressum esse. HER. Quid ergo tollenda esse censet? RI. Mihi quidem sic uideatur. licet ea habeat exemplar ipsum Romanum, annos antè sexaginta quinque excusum. Fortasse eruditus quispiam locum declarare uolens, & ostendere cur Cicero dixerit, non satis apertis, adiecit illa uerba, quę superesse uidentur, cū breuitate, tum nimio acumine. Nam obscuritatem adfert nimia

interdum breuitas, & nimium acumen. Fuisse autem Thucydidem, sicut alios ea ætate plerumque, subtilem, acutum, breuē, & sententiis magis, quàm uerbis abundantem, testatur apud Ciceronem Antonius II. de Oratore. Cæterum ut hic iudicium meum non interpono, ita ne in illo quidē, quod statim sequitur. Sic Catonis luminibus obstruxit hæc posteriorum quasi exaggerata altius oratio. Sunt enim, qui posteriorum legant quem in modum sanè quodam in exemplari reperi. Verum cum & Cicero ipse nonnunquam, & Fabius item, priore illo sic utatur, nihil immutandum puto. Nam in Oratore Cicero Nec acumine (inquit) posteriorum, nec fulmine utens superiorum, uicinus amborum. & II. de Inuentione. Vnū quoddam est conflatum genus à posterioribus: qui ab utrisque ea quæ commodè dici uidebantur, in suas artes contulerunt. & II. de Finibus. Qui mos cum à posterioribus non esset retectus, Arcesilas eum reuocauit. Sic aliàs interdum MER. Et ipse mi Rivii tecum sentiens, uulgatam illam relinquendam esse lectionem duco. Nam posteriores Cicero dicit eos, qui post Catonem extiterunt: uel qui Catonē insecti sunt. hoc est, recentiores, & inferioris ætatis oratores. RI. Sic est Herteli. Quo uerò loco multos recenset pictores egregios, uelut Zeuxim, Polygnōtum, Timantem. sequitur in hunc modum. At in Ectione, Nicomacho, Protogene, Apelle iam perfecta sunt omnia. Sic consentiunt ad unum codices

IN M. TVLLIVM CICERONEM,

quos ipse uiderim. HER. Quid hic corruptum cē  
 ses? RI. De Eetione, quod sciam, nihil uspiam legi.  
 Itaq; legendum suspicor, aut Aëtione · nam Lucia-  
 nus de mercede conductis Aëtionis cuiuspiam me-  
 minit, sicut & Apellis ibidem & Parrhasii · aut certè  
 Echione. Nam Echion nomen est clarissimi picto-  
 ris · quo de Plinius libro Naturalis historiae XXXV.  
 capite VII. ubi & Nicomachi meminit & Apellis  
 uno eodemq; loco. HER. Verisimile est, quod di-  
 cis. RI. Post ubi de Lælii & Scipionis ingenio & elo-  
 quentia Cicero, sic inter alia uulgò · Nam ut ex belli  
 ca laude aspirare ad Africanum nemo potest, in qua  
 ipsa egregium Viriati bello reperimus fuisse Læliū.  
 Exemplar Venetum habet, Viriatico bello. quan-  
 quàm Suetonius in uita Galbæ, Viriatinum bellum  
 dicit. HER. Mirum Riūi, autorem uirorum illu-  
 strium, quicumq; ille tandem, ubi de Viriato agens  
 belli huiusce meminit, non meminisse C. Lælii, neq;  
 item L. Florum, aut ex posterioribus quenquam.  
 RI. Idem Hertéli & alii mirantur. Quāquam aliās  
 quoq; Cicero hac ipsa de re non nihil. HER. Vbi  
 nam quæso? non enim succurrit. RI. In II. Officio  
 rum, quo loco docet iustitię opinionem ad omneis  
 uitæ parteis esse necessariam. Itaq; (inquit) propter  
 æquabilem prædæ partitionem, & Bargalus Illyri-  
 cus latro (de quo est apud Theopompum) magnas  
 opes habuit, & multò maiores Viriatus Lusitanus,

cui quidem exercitus nostri imperatoresq; cesserūt quem C. Lælius, is qui sapiens usurpatur, prætor fregit & comminuit, ferocitatemq; eius ita repressit, ut facile bellum reliquis traderet. HER. Nunc ad reliqua, si uidetur. RI. Post aliquot inde paginas, ubi uulgò Mutius autem augur, quod per se opus erat, ipse dicebat. Legendū forsā, quod pro se opus erat: ut Romanum habet exemplar quam germanam tamē esse lectionem, pro certo dicere Hertēli, aut sine ulla dubitatione confirmare haud ausim. Vbi uerò Academicorum Cicero Stoicorumq; meminit, sequitur Quis enim uberior in dicendo Platone? Iouem aiunt philosophi, si græcè loquatur, sic loqui. Hæc uera lectio, contrā quā hodie ferè. Pōst, de M. quodam Bruto loquens, sic inter alia Cicero. Iisdem temporibus M. Brutus, in quo magnum fuit Brūte dedecus generi uestro qui cū tanto nomine esset, patremq; optimum uirum habuisset, & iuris peritissimum, accusationem factitauerit. Romanum exemplar in quo magnum fuit Brūte uulnus generi uestro. Vtrum rectius, aliorum esto iudiciū.

HER. Quid hic Riui est, accusationē factitare nam Accusationē factitare. rara mihi locutio uidetur? RI. Rem haud sanè Hertēli difficilem aut abstrusam quæ is, & quanquā tu melius ista, tamē dicam. Est igitur idem, quod accusatoris munus & officium exequi, & delatoris partibus fungi. Propterea de eodē paulò pōst. Sed fuit

IN M. TVLLIVM CICERONEM,

Delationem  
facti  
tate.

accusator uerhemēs & molestus. Eodem sensu Tacitus, delationem factitare dixit. libro XVII. & accusationem exercere. Qui temporibus (inquit) Neronis delationem factitauerat. & ibidem. Quippe ipsam Crispum eadē accusationes cum præmio exercuisse meminerant. De hoc uerò Bruto Cicero in Offi. Duri (inquit) hominis, uel potius uix hominis uideatur, periculum inferre multis. Id tum periculosum ipsi est, tum etiam sordidum ad famam, committere ut accusator nominetur. quod contigit M. Bruto summo genere nato, illius filio, qui iuris ciuili in primis peritus fuit. De eodē cū in II. de Oratore, ubi ipsum ait uocē ac linguā in turpissimū calūniæ quæstū contulisse, tum in oratione pro A. Cluentio ubi eum hominem in dicendo uerhemētem & callidum dicit. Sed ut pergā. Vbi de Q. Catulo loquēs libri meminuit Cicero, quem is de consulatu & de rebus suis conscripū ad A. Furium miserit, sic legitur. Tum Brutus. Mihi quidē nec isse notus est, nec illi. sed hæc mea culpa est, nunquam enim in manus inciderunt. Sic quidem uulgō. sed (ut ego arbitror) deprauatē. Vna literula mutata sensum totum perturbat. HER. Propēmodū suspicor, quomodo restituendum hunc putes locum. RI. Quis enim nō hoc statim sentiat, nec pro hæc legendum esse. Sed nec mea culpa est. ita nimirū aptius cohærebūt, quæ sequuntur. Sensus est enim. non sibi esse uicio dan-

dum, quòd hi libri, quorum Cicero meminert, noti sibi non essent, nec uerò ullam in eo culpam suam esse, propterea quòd nunquam in manus inciderint, HER. Fuit sanè perfacilis & lubricus ex similitudine uocum lapsus. Quanquam ne scriptura quidem multū inter se discriminis habet. RI. Rectè dicis & similis ferè est in eo error, quod nunc addā. Nam quo loco Cicero causam reddit, cur non ita disertos homines & retulerit in oratorum numerū, & relaturus sit, ad hunc modum sequitur. Est enim propositum colligere eos, qui hoc munere in ciuitate functi sint, ut tenerent oratorū locum. Quorum quidē quæ fuerit assensio, & quæ in omnibus rebus difficilis optimi perfectio atque absolutio, & quæ sequuntur. HER. Quid hic desideras? RI. Hic locus est unius deprauatione literæ deprauatus, sicut superior. Legē dum est enim ascēsis ab ascēdere non assensio ab assentiri. Vocū similitudo ansam errori præbuit. Ostēdit autē Cicero, quòd quasi per gradus eloquentia ad perfectionē ascēderit. Facit nobiscū exēplar uetustū. HER. Ego uerò etiā si nullū tecū faceret exēplar, sic legendū contenderim. Quē enim colligas ex priore illa & corrupta lectione sensum? RI. Similis ex simili causa error esse uidet, Philip. XI. Nec grauiora uerè sunt carnificū tormenta, quàm interdū cruciamēta morborū. Legēdū enim, si quid ego iudico, Nec grauiora ferè sunt. HER. Ad iudiciū tuū Rivii adscribe sen

IN M. TVLLIVM CICERONEM,

tēriam meam. RI. Sic & in Catone maiore. Turn  
quidem ille admodum senex, suator legis Cintiz de  
donis & muneribus fuit. Sic & Cratander, & Herua-  
gius, & cęteri ferē omnes. At uerō in uetustis est, cūm  
quidem ille admodum senex, & cętera. quomodo  
Theodorum quoque legisse, interpretatio eius ostē  
dit. HER. Amat Cicero iungere particulas hasce  
binas, cūm quidem. RI. Sic est Hertēli. Hic in mē-  
tem uenit loci cuiusdam ex III. Tuscula. corrupti  
(nisi fallor) propter similem affinitatem uerbo-  
rum, nam ubi uulgō. Est id quidem magnum, ut su-  
prā dixi, etiam Chrysippo ita uideri scio, quod pro-  
uifum animo non sit, id fieri uā hementius. Ego le-  
gendum suspicor, id ferire uā hementius. quod non  
uidisse Beroaldum miror. Nam & postea in eādē  
sententiam. Feriunt enim (inquit) fortasse grauius,  
non id efficiunt, ut ea quę accidunt, maiora uidean-  
tur. HER. Prorsus assentior Riūi. RI. Nō dissi-  
mile ferē illud ex I. Offic. Fortis autem animi & cō-  
stātis est, nō perturbari in rebus asperis, nec tumul-  
tuātem de gradu deiici, ut dicitur, sed pręsentis ani-  
mi uti cōsilio, nec ā ratione discedere. Ego legere ma-  
lim. sed pręsentis animi niti cōsilio. atq; ita planē  
legendum esse, coniectura quadam ducor ad suspi-  
candum. Et ut alia quę succurrunt, omittam, quis  
non uidet, elegantius esse niti quā uti? pręsertim  
cum sic persistere Cicero in metaphora suscepta ui-

Locus ex  
Tusc. III.  
correctus

Locus ex  
I. Offic. re-  
licutus.



deatur. Et est sanè lubricus facilisq; uocum ex alterutra in alterā lapsus. HER. Est ita, ut dicis. RI. Iam Ambrosius ipse, qui ut religionem inculcaret, Ciceronis officia ad pietatem nostram transtulit, niti legisse uidetur, quo loco hanc sententiam ad suū institutum, aliis quidem interdū, sed idem ferè significantibus uerbis accommodare studet. Nam pro hac locutione, præsentis animi niti consilio, ipse (ni fallor) consilio firmare animum dixit. HER. Profecto magnū signum Riui. RI. Hanc ego esse coniecturam uelim, præsertim qui nihil exploratius, & ad probandum grauius firmiusq; habeam. Nec ita dissimilis esse uidetur in Lælio Ciceronis, ex affinitate uocum error. Quo in loco enim hodie Doctorum est ista consuetudo, eaq; græcorum, ut his proponatur, de quo disputent. ipse alicubi reperi, ut his ponatur &c. pro ut quæstio ad disputandum afferatur, ut differendi causa detur. quo & aliās uerbo est ad hunc modum usus. ut I. Tusc. Ponere iubebam, de quo quis audire uellet, ac id aut sedens aut ambulans disputabam. id est, dicere iubebam, qua de re disputari quis uellet, seu quæstionem poscebam, ut idē aliās loquitur. & I. de Oratore. Quid mihi nunc uos (inquit Crassus) tanquam alicui græculo ocioso & loquaci, & fortasse docto atq; erudito, quæstiunculam de qua meo arbitrato loquar ponitis? Rursus II. Et doctoribus nostris ea ponere in percunctādo, eaq;

Locus ex  
Lælio e-  
mēdatus.

Ponere,  
pro, quæ-  
stionē ad  
disputan-  
dum af-  
ferre.

26 IN M. TVLLIVM CICERONEM,  
 ipsum omni in sermone tractare, ut nihil esse ei no-  
 uū, nihil inauditū uideretur. & lib. IX. epistolarū fa-  
 miliarium. Quod tu unum <sup>sermone</sup> Dioni philosopho  
 posuisti. Est apud eundem, res ad dicendum posita,  
 II. de Oratore, ni fallor. Inde positiones hodie, pro  
 argumentis disputācium id est <sup>sermone</sup>. Sed iam dudum  
 uereor, ne nimis sim in congerendis exemplis odio-  
 sus ac loquax. HER. Hoc mi Riūi es tot afferēdis  
 exemplis consecutus, coniecturā ut istam, cum quē-  
 dem primò haud satis arrideret, iam ualde mehercu-  
 le probem. RI. Mihi uerò altera quoq; Herteli le-  
 ctio placet. nam de Fato Cicero Proponere (inquit)  
 aliquid, ad quod audiā, uolo. & V. Tusc. Sic est pro-  
 positum de quo disputaremus. Quin & propositū  
 alicubi dixit, quod <sup>sermone</sup> Græci cuius (nisi fallor) & Fa-  
 bius ipse meminit. Ut iam appareat uidelicet, utrum  
 que probè & aptè quadrare, atq; ita demum, meritò  
 ut dubites, utrum hoc loco rectius. Nam quòd Her-  
 uagianum exemplar, præponatur hic habet, incuria  
 est operarum commissum. Vnum etiam ex Gellio,  
 quem similitudo uocum creatit, errorem ostēdam,  
 antè quàm ad ulteriora gradiamur. HER. Ut ui-  
 detur mi Riūi. RI. Est igitur lib. II. cap. XXVI. ad  
 hunc ferè modum. Luteus contrà, rufus color est di-  
 lucidior. unde eius quoq; nomen esse factū uiderur.  
 HER. Quid hic tandem depratiatū esse censēs. præ-  
 fertim cum & Lazarus ipse Bayfius, & An. Thylefius  
 sic citent. ut uel eximios illos & egregios, uel hoc imi

subsellii uiros, Mancinellū & Calepinū omittā. RI. Vbi uulgò dilucidior, ibi ego dilutior, ex codice peruetusto, sensu idē exposcēte. HER. Cur autē Gellius inde lutei coloris nomē esse factū suspicat, quòd sit dilutior? RI. Facilis respōsio Hertēli. Est enim diluere, ut scis, admista aqua tēperare. quo in significato Plinius de zytho Aegyptiorū, deq; cereuisia Galloꝝ loquēs, Nulla (inquit) in parte mūdi cessat ebrietas. meros quippe hauriūt tales succos, nec diluendo ut uina mitigant. HER. Scio isthuc Riūi. RI. Iā quid uetat, quin metaphoricis dilutū dicamus colorē eū, qui minus sit intēsus atq; acutus, q̄ alii sui generis qui dā. Quēadmodū atramentū uides infusa aqua reddi dilutius, ac de atrore nō nihil remittere. Qua trāslatione Plinius, de boletis loquēs. Quorū dā (inquit) ex his facilè noscunt uenena, diluto rubore, rācido aspectu, & quę sequunt. Atq; alibi. Cōstatq; melior ille color, cuius fulgor uini colore fuscatur, q̄ qui diluit aqua. Sed ad rē. Cū aliter rubeat ignis, aliter sanguis, aliter ostrū, aliter crocus, sintq; tā multę rufi uarietates rectē Gellius colorē luteū, qui rufus est quidē, sed remissior paulò tēperatiorq; dictū à diluēdo cēset. Nā cū paulò antè colorē finisset rubidū, quē rufum eē ait atrore & nigrore multo mistū, mox cōtrā, luteū ait & ipsum rufum quidē esse colorē, sed (quo à superiore differat) dilutiorem, hoc est, minus q̄ rubidus sit, atrum & nigrum. Vt enim rubidus nigro rufum

infuscat, ita luteus albo diluit atq; illuminat. utq; ille intēdit rufum, ita hic remittit ac tēperat. HER. At qui Riūi, si ita res habet, uide ne hoc totū uulgatā hodielectionē confirmet. RI. Cur ita isthuc? HER. Quia non pessimè quadrat in hunc locū dilucidior, si sensum spectes. RI. Intelligo quid dicas, & est isthuc quidem Hertēli aliquid, sed origo uocis reclamat. Nam luteus à luto (ut scis) priore producta uenit, quod est coloris genus crocei ac dilutius rufi, qualis in uitello cernitur, quod est ideo luteum uiddictum. qualis in liliis item quibusdam, quas luteas Plinius uocat. qualis deniq; in croci capillamentis, sed humore aliquo dilutis. nā natiuus alióqui in his rubor est. Nec dissimilis ferè est aurorę color ob quod pœtra VII. Aurora in medijs fulgebat lutea bigis. & alibi Aurora oceanum croceo uelamine fulgens Liquerat, & biiugis uecta rubebat equis. Vnde & Homero *ἠὲρ ἰστέριον* dicta est, & *ἠὲρ ἰστέριον*. Sed ne diutius Hertēli uagemur, redeamus ad Brutum nostrum, à quo discessimus. HER. Ut uideretur Riūi, quàmuis hæc à Bruto digressio mihi acciderit non ingrata. RI. Illud igitur, quod non ita multò antè præcessit, sic est ex codice Romano legendum. Fuit igitur in Catulo sermo latinus, quæ laus in dicendo non mediocris, ab oratoribus plerisq; neglecta est. Pro, quod ipsum latinè loqui, quanquam haud mediocriter in dicendo probandum, in magnatq; laude

ponendum, à plerisque tamen neglectum est. Nam hodie perperam, quæ laus dicendi non mediocris, non quin sic quidē dici latinè possit (neq; enim hoc in dubium uenit) sed quòd hanc sensus ipse lectionē respuat & repudiet. Nam laus dicendi, ea demū est, Laus dicendi. ubi quis de eloquentia commendatur & facultate dicendi quam in sententiam postea L. Cottam Cicero dicendi non ita multum laude processisse ait. Sic & bene loquendi laus, cum de sermone quis planè latino atq; emendato laudatur quomodo postea Cicero, ubi M. Aurelium Scaurum latinè in primis esse eleganter locutum dixit, mox eandem laudem in A. Albino bene loquendi fuisse ait. At uerò laus ipsa Laus in dicendo. in dicēdo ea ferè est, cum aliqua uirtus, qua sit in orādo quis uti solitus, probatur. quomodo Cicero hic sermonem latinum ait laudem esse in dicendo non mediocrem: nimirum quòd præclaram & eximiam mereatur laudem orator, si purè atq; incorruptè loquatur, non inquinatè & sordidè. Vides ne igit, aliud quiddam, longè aliud Herteli esse, dicendi laudem, atq; in dicendo. an etiam plura & firmiora ad probā dum argumenta quæris? HER. Ego ne tādē aut plures Rivii, aut ualidiores afferrationes postulē? Minimè uerò. Quē enim aut mihi tu, aut cuiquam prorsus reliquisti in hac re dubitandi locum? Itaq; per me quidē ad reliqua iam, si uideretur, pergas.

RI. Paulò post igitur. Tum etiā C. & L. Memmii

fuerūt oratores mediocres, accusatores acres atque acerbi. Ibi perperā uulgò. Tū etiā Caii Lucii Memmii. Tametsi hoc sanè minutius, q̄ ut adnotari debeat. HER. Indignū uerò Riūi, quod præteriretur. RI. Proxima pagina, ubi de Crasso & Scæuola agitur, sic inter alia hodie. Nam ut paulò antè dixi consultor, alterū disertissimum, disertorū alterum consultissimū fuisse, sic in reliquis rebus ita dissimiles erāt inter sese, statuere ut tamē nō posses, utrius te malles simi liorē. Hæc est, ni fallor, uera lectio. Cæterū Budæus uir summè diligēs, sic alicubi citat. Nā cūm cōstet, (ut antè dixi) consultorū alterum disertissimū, & quæ sequuntur. memoria ne lapsus, an' quòd sic legendū purarit, haud facillè dixerim. Paulò pòst. Rectè inquam intelligis, sed adiunxit etiam & literarum sciē tiam, & loquendi elegantia. Hic perperam est omis sum Eriam, apud Cratandrū. Sed hoc sanè q̄ leue, & nulli⁹ ferè momēti. Paulò inferius sic uulgò. Simul illud gaudeo, quòd & æqualitas uestra, & pares hono rum gradus, & artium studiorūq; quasi finitima uici nitas, tantum abest ab obtrectatione inuidiæ, quæ so let lacerare plerosque, & reliqua ibidem. Volumen Romanum habet, ab obtrectatione inuidiæq; quæ solet lacerare plerosq;. HER. Rectius sanè hoc esse uidetur. RI. Sic Liuius VIII. Decad. III. hæc simul iūgit, obtrectationem atq; inuidiam, in oratione Q. Fabii. idemq; ipsum facit X. Decad. III. quo

loco se Annibal uictū queritur non tam uiribus populi Ro. q̄ obrectatione atque inuidia Senatus Carthaginienſis. Itidem Cæſar I. belli ciuiliſ, & Val. Maximus libro V. de ingratis, ut alios omitram. Errori locum fecit, ni fallor, alterum Que incuria librarii omiſſum. Iam ubi de Craſſi tribunatu loquens, cum in illo magiſtratu apud Qu. Granium præconē ceſſaſſe ait, ſequitur idq̄ nobis bis narrauiſſet Lucilius. illud bis omittendum puto, quod nec ſententiã poſcit, nec codex habet ueruſtus. HER. Leue hoc quidē Riuii ſed tamen diligentia tuam laudo, qui ne minima quidem iſta intacta relinquo. RI. Perperã quoq̄ hic Ro. codex, apud Granium prætorē. cum ſit prior lectio uerior. Intelligit autem Cicero Lucilium illum acerrimum Satyræ ſcriptorem. in qua idem eſt inſignem laudem adeptus, ut teſtatur Fabius. Is apud Gellium, huius Grani meminit ad hūc modum.

Coniicere in uerſus dictum præconi uolebam Grani. libro III. cap. XVII. De dicacitate eiufdē Grani, nō nihil apud Ciceronē Iulius, de oratore II. De eodē ſuprà quoq̄ Cicero. & pleraq̄ in oratione pro Cn. Plancio. HER. Pergratū mihi facis, qui talia obiter addas, idq̄ ſæpe uti facias, oro. RI. Faciam Herteli, ut uis. Pagina proxima ſequitur. Qu. & D. Valerii Sorani, uicini & familiares mei. Perperam eſt in aliis omiſſum, Et. Paulò poſt

ubi Theophrasti obiter mentio fit, sic uulgò tulisse eum molestè, se non effugere hospitis speciem, cum ætatè ageret Athenis, optimeq; loqueretur. Omniū (sicut opinor) in nostris est quidam urbanorum, sicut ille Atticorum sonus. In Ro. exemplari est, optimeq; loqueretur omnium. Sic (ut opinor) in nostris, & cætera. Posset haud ineptè Herteli, ad hunc legi modum. Omnino sic (ut opinor) in nostris est quidam, & quæ deinceps sequuntur. Et mehercule facile mihi persuaferim (si quid in me tamen iudicii est) hanc germanam prorsus esse lectionem. ut sit sensus. Est in nostris, hoc est, Romanis (nam hos oratoribus externis opponit) quidam omnino proprius ac uernaculus urbis Romæ sonus, cuius modi ille apud Græcos Atticismus, proprius ac peculiaris Athenarum. Id est, recinit quiddam & resonat urbanus in nostrorum oratorū uocibus, quod in externis istis desideres, quorum non sit urbanitate quadā quasi colorata oratio. ut Cicero ait. Est autem urbanitas, sermo præ se ferens in uerbis, & sono, & usu proprium quædam gustū urbis. & (ut Fabii uerbis utar) illa demum est urbanitas, in qua nihil absonū, nihil agreste, nihil inconditum, nihil peregrinum, neque sensu neq; uerbis, neq; ore gestuue possit depræhendi. ut non tam sit in singulis dictis, quàm in toto colore dicendi. Qualis apud Græcos est Atticismus ille redolens Athenarum proprium saporē. Iam par-

urbani-  
cat-



ricula Omnino, Cicero aliàs quoq; hunc in modum  
 utitur. uelut I. Off. Omnino enim illud honestum,  
 quod ex animo excelso magnificoq; quærimus, ani-  
 mi efficitur, non corporis uiribus. In Catone maio-  
 re Omnino (ut mihi quidem uidetur) rerum omniū  
 fatietas, uitæ facit fatietatem. & in Lælio Omnino  
 est amans sui uirtus. optimè enim se ipsa nouit. Sed  
 iam Herteli ad reliqua pergamus. nimis enim mul-  
 ta nos iam dudum de re leui. Tametsi in hanc pecca-  
 re partem malim, ut prolixitate obrundam, quàm  
 quidquã quod opus sit, dum breuis esse laboro, præ-  
 termittam. Igitur pagina proxima, ubi æquales pro-  
 pè modum Cicero fuisse dicit C. Cottam, P. Sulpi-  
 tium, Q. Varium, Cn. Pomponium, C. Curionem,  
 L. Fusium, perperam ibi mox M. Drusus patricius.  
 Legendum autè M. Drusus, P. Antistius. Sic enim  
 codex Ro. & de Antistio postea agit, postquàm de  
 cæteris iam enumeratis egit. HER. Quanta depra-  
 uatio, ex P. Antistio, patricius? RI. Quis autem  
 tales errores deprehenderet, adminiculo destitutus  
 codicis alicuius uetustioris? HER. Sic mehercule  
 est, ut dicis. RI. Iam quo loco de Antimacho obi-  
 ter. HER. Mane, hoc prius scire expeto Riui, ubi  
 Antimachi Cicero meminit, legendum ibi putes,  
 Clarium poëtam, an (ut quidam) clarum? RI.  
 Quis enim non uideat Herteli, Clarium ibi esse le-  
 gendum, Nam Antimachus Colophonius fuit, hoc

Antima-  
 chus.  
 Clarius.

54 IN M. TVLLIVM CICERONEM,  
est, Clarius. de quo ipso I. Tristium Ouid.

Nec tantum Clario Lyde est dilecta poetæ.

Nec tantum Coe Battis amata uiro.

Nā de Apolline Clario multa passim autores, Me-  
la, Strabo, Plinius. HER. Exemisti scrupū. Perge  
uerò, si qua præterea sunt. RI. Quo loco igitur de  
Antimacho Cicero, sic inter alia uulgò. Legam, in-  
quit, nihilo minus. Plato enim mihi unus instar est  
omniū, me, illum, & rectè. Poëma enim reconditū  
paucorū approbatione, oratio popularis ad sensum  
uulgi debet moueri. Sic legēda sunt Hertēli hæc po-  
strema. meritò ille, & rectè. Poëma enim reconditū  
paucorū approbationē, oratio popularis assensum  
uulgi debet mereri. HER. Quot mēdæ, dii immor-  
tales? Est'ne isthuc Riūi sic ibi corruptū? RI. En spe-  
cta, tū scies. HER. Ut interdū fallūt magnifici titu-  
li. RI. Me, pro meritò perperā typographi. illū,  
pro ille. approbatione, pro approbationē. moueri,  
pro mereri. ad sensum, pro assensum. Quāquam in  
hoc quidem antiqua illa scribēdi ratio ansam errori  
dedisse uidetur. ut ad sensum quispiam antiquitatis  
imperitus, duas esse uoces putarit. HER. Sic est pro-  
fectò Riūi. RI. Nō procul inde Cicero, ubi de Q.  
Sceuoia agit, probaturo M. Curiū, cum ita hæres in-  
stitutus esset, si pupillus antè mortuus esset, q̄ in suā  
tutelā uenisset, pupillo non nato, hæredem esse non  
posse. sequitur. Quid ille nō dixit de testamentorū

iure: de antiquis formulis: quæadmodū scribi oportuisset, si etiā filio nō nato hères institueretur. HER. Mihi nihil hic prorsus corruptū uideretur. RI. In uolumine ipso Romano est, quid quemadmodum scribi oportuisset. quæ est uerior atq; elegantior (ut opinor) lectio. An nō tibi ita uideretur? HER. Sanè quidē. Sed quàm pauci ista aduertūt? RI. Animaduerterēt multi, si aut acrius animū intenderent, aut exemplaria uetera conferrent. HER. Quid hoc Riūi est? Si pupillus antè mortuus esset, quàm in suā tutelā uenisset. RI. Idem Hertēli, quod, si ante pupillus diem obiisset, quàm testamentum iurè facere posset. (ita Boëtius explicat) id est, si antè quàm pubes factus esset, obiisset, uel si ante tutelæ suæ annos (ut Fabius) hoc est, intra pubertatem decessisset. HER. Memini me Riūi de hoc legere nonnihil II. Institutionum, quo loco de pupillari substitutione agitur. RI. Rectè dicis. Sed & Ulpianus. Cùm filiofamiliās (inquit) ita legatur, cùm in tutelam suam peruenerit, pubertatis tempus significatur. & Paulus. Si filiafamiliās ita legatum sit, cùm in tutelam suam peruenerit, tunc debet, cùm uiripotens facta fuerit. Sed ad rem. In illo, quod pōst sequitur, Ut enim ex neruorum sono in fidibus, quàm scienter ei pulsī sint, intelligi solet, & reliqua. nihil est Hertēli deprauatum, ut uideri fortè poterat. Nam utrunque & ei & ii di-

In tutelā  
suam uenire.

36 IN M. TVLLIVM CICERONEM,  
cimus eodem casu. Qua de re Prisciani uerba, si pla-  
cet, afferam. HER. Aueo audire. RI. Quid ha-  
bet notandum (inquit) hoc pronomē: (loquitur au-  
tem de pronomine Is) Quod nominatiuum plura-  
lem masculinum, tam in ei facit, quàm in ii. & datiu-  
uum & ablatiuuum in eis & iis. Et quamuis ii duplicer-  
tur, tamen pro una accipitur syllaba in metris quo-  
modo dii & diis, pro dei & deis. Ita Priscianus. HER.

Ei, pro ij. Mirari desino, cur Politianus alicubi ei, pro ii dixe-  
rit. ut & alii præterea quidam. RI. Probus tamen  
alterius solùm meminit, & unã fieri testatur de dua-  
bus uocalibus syllabam, ut ii. Sed alterũ apud Plau-  
tum quoq; reperitur in Persa. & apud Ciceronem II.  
de natura deorum. Quin & initio Dialogi huius, sic  
illud in exemplari Veneto legitur. Itaq; ei mihi uidẽ  
tur fortunatè beatèq; uixisse. ubi hodie ferè, ii. Non  
ita multò post, sic illa ibi distingues. Videt oscitan-  
tem iudicem, loquentem cum altero nonnunquã  
etiam circulantem, mittentem ad horas, quæsitore  
ut dimittat rogantem. intelligit oratorem in ea cau-  
sa non adesse. Ro. exemplar, haud scio quàm rectè,  
calculantem habet, pro circulantem. Quod ad di-  
stinctionem atinet, perperam alii, mittentem ad ho-  
ras quæsitorem. cùm hæc ultima dictio pertineat ad  
Quæsitore sequentia. Est enim sensus. Videt iudicem ab eo, qui  
quæstioni & iudicio præest, uel qui iudiciũ exercet,  
& qui cõsilium iudicum coëgit (is enim quæsitore di-

citur) petentem, ut se dimittat hoc est, ab eundi co-  
 piam & potestatem sibi faciat. Nam sic uerbo dimit-  
 tere interdum utimur uelut cum dicimus, dimittere  
 senatum, dimittere concilium aut concionem. Lo-  
 quitur autē Cicero de iudice tadio affecto, & qui ni-  
 hil admodum moueatur aut delectetur a ctione ora-  
 toris. Is enim aut aliud interim agit, aut ipsum qua-  
 sitorem, qui & prætor urbanus dicitur, & iudex qua-  
 stionis (cuius in potestate est soluere, cum liber, con-  
 filium) ut ante tempus, nec expectata hora iudiciū  
 dimittat, rogare solet. Sed in re aperta ne nimis lon-  
 gus sim, ad reliqua pergamus. HER. Quid sibi uult,  
 cum dicit circulantem? RI. Intelligit caput in cir-  
 culis conferentem. Etenim circulos Latini uocant, *Circul.*  
 cœtus hominum circumquaq; astantium, aut in or-  
 bem collectorum, inter seq; cōfabulantium. Sic Ta-  
 citus lib. III. Nec ignoro in conuiujs & circulis incu-  
 fari ista, & modum posci. Seneca. Quidam enim be-  
 neficium, quod dederunt, omnibus circulis narrāt  
 pro passim prædicant & iactāt. Inde circulator apud *Circula-*  
 eundem. Alter apud proximum circulatorem refe- *tor.*  
 dit. & circulans V. epistolarum, pro sermones in cir- *Circula.*  
 culis ferens. Sic itaq; habe, inquit, ut istam uim dicen-  
 di rapidam atq; abundantē, aptiorem esse circulanti  
 iudices, quā agenti rem magnam ac seriam, docen-  
 tiq;. Et uerbum ipsum circulari. Qui uerba magna *Circular.*  
 celeritate præcipitant, & communes locos uolunt,

& in priuato circulantur. Sed nimis multa de re leui. HER. Bene fecisti Riui, qui hunc exemeris scriptum. RI. Quasi tu hæc minus, quam ego, qui quasi docere uidear, noris. Post unam & alteram chartam sequitur. Q. Scæuola augur, qui peritissimus iuris, idemque percomis est habitus. Legendum idemque patronus est habitus. Post, ubi de P. Antistio Cicero, sic legendum. Hic temporibus floruit iis, quibus inter professionem reditumque L. Syllæ, sine iure fuit, & sine ulla dignitate Resp. Perperam alii, quibus ante professionem. Quanquam hic bene sanè Heruagius. Quo uerò loco de Q. Hortensii ingenio meminit admodum adolescētis, quod ut Phidiaz signum, simul aspectum & probatum sit, sequitur. Is L. Crasso, Q. Scæuola Coss. primùm in foro dixit, & apud hos ipsos quidē Coss. Hæc uera lectio. nam est in aliis omissum perperam pronomen Ipsos. Quod nunc addam, quò à reprehensione temeritatis absim, coniecturam esse uelim. nam de eodem Hortensio loquens paulò post Cicero, sic inter alia ait. Et me adolescentem nactus octo annis minorem, quam erat ipse, multos annos in studio eiusdem laudis exercuit. Ego legendum suspicor, in stadio eiusdem laudis, pro in curriculo, metaphoricæ. Lapsus erat perfacilis, unius immutatione literæ, & facilius intelligebatur ab imperitis studiū, quam stadium. Nec est rara hæc apud Ciceronem meta-

phora· ne quem insolentia uocis offendat. Quin & primo de oratore, sic illud legendum arbitror, præsertim uno quodam exemplari consentiente. Et exercitatio quædam suscipienda uobis est· quanquam uos quidem iam pridem estis in cursu. sed iis, qui ingrediuntur ad stadium, quiq; ea, quæ agenda sunt in foro, tanquàm in acie, possunt etiam nunc exercitatione quasi ludicra prædiscere ac meditari. Vbi uulgo, qui ingrediuntur ad studiũ. HER. Tibi ego Riũĩ prorsus assentior. Quàm uellem, sæpius cõiecturas taleis afferres. Mihi enim admodũ uidetur probabile, quod hic coniectas. RI. Scis me non ita multũ fidere ingenii diuinationi· & hercule plena periculi, plena temeritatis res est, ingenio nimis talibus in rebus fidere, ita ut Itali quidam fecisse interdum uidentur. HER. Intellego Riũĩ, quos dicas. Talis est, qui in Plauto prõinde in pẽrinde semper mutat· quasi non illud sit longè uenustius, & antiquitatem magis redoleat. Talis, qui legendum monuit, effertur funus. non, effertur, imus. & quidem tanta cum auctoritate, ut Apollinis responsum credas. RI. Mihi Herteli si coniecturas sequi libuisset, in Terẽtio plura utique mutassem. & quidem suffragantibus sæpe exemplaribus uetustis. HER. Quænam tandem? aueo enim audire. RI. Pauca de multis afferam. In Andria sic illa legissem. In ignem imposita est· fletur. &

Lociq̃  
dam ex  
Terentio  
ventilati,

40 IN M. TULLIUM CICERONEM,  
Nec clam te est, quàm illi utraq; res nunc utiles  
Et ad pudiciam, & ad rem tutandam fient.

Item

Ad te aduenio, spem, salutem, auxilium, consilium  
expetens. &

Num inimemores discipulis? D. ego quid narres  
nescio. &

tu tamen idem has nuptias

Perge facere, ita ut facis • & id spero adiutores deos.

In Eunu. Sed ecce ipsa egreditur, nostri fundi calamitas.  
&

Cupio aliquos parere amicos beneficio meo.

In Heau. Qui nuper fecit seruo currenti, uia  
Deesse populum. Omissa præpositione In.

&

Nihil est, triūpho, si licet me latere tecto abscedere.

&

Aequi boniq; facio. CH. atqui cùm maxumè

Volo te dare operam, ut fiat.

In Adel. Iam ne me uis dicere, id quod ad te attinet?  
&

Quom feruit maximè, tam placidum quasi ouem  
reddo. &

Vnà à pueris paruoli

Sumus educti. unà semper militia & domi.

In Hec. Nisi pol filium multimodis iam expecto, ut redeat  
domum. &



IO. RIVII CASTIGATIONES. 41

Ut nunquam sciens commerui, meritò ut caperet illam odium mei. &

Nunc nō est quom eam iam sequitur alienus puer. In Phor.  
Ita cum tum timidum ibi obstupescit pudor.

&

Immeritò, & me omnium horum immeritissimo.

&

Quod te absente hic filius

Egit, restitui in integrum æquum esse ac bonum.

&

Harum qui est dominus ædium. CH. Antiphoniæ  
inquam: SO. hem, isti ipsi.

&

Familiarem oportet esse hunc minatur malum.  
Hæc nunc Herteli succurrunt. HER. At cur hæc Riui mutare non libuit, præsertim si ea fretus exemplarium ueterum fide, castiganda esse duxisti? RI. Dicam Herteli etenim rectè requiris. Quia uerebar, ne studio, nimis in Terentio multa uiderer mutasse, propterea ne quid inuidiæ subirem, quæ utcumq; tolerari poterant, sicut erant, relinquenda putabam. HER. Malè meherculè factū. RI. Sic mihi tum optimum factu uisum, cum primum à nobis esset Terentius edendus. Nam nunc quidem mutata ex his pluraq; sunt, postquam doctis audaciâ sensi probari meam. HER. Sed habeo paululū Riui, quod requiram, nisi molestū est. RI. Tu uerò, ut lubet

41 IN M. TVLLIVM CICERONEM,

Hertēli. HER. Illud igitur scire sanè uelim, quem tandem colligas ex illis de Andria uersibus, quos secundo attulisti loco, sensum, si utiles legas. RI. Eūdem mi Hertēli, quē ex peruulgata lectione ceteri. HER. Quid ais: eadem ne elicietur ex uocibus contrariis sententia: neque quidquam adeò, utra ex his cunq; ponatur, referet? RI. Ad sensum prorsus nihil, ad uenustatem multum. HER. Tu igitur Vtiles magis probas? RI. Probo inquam uerò. HER. Cur ita tandē: præsertim, nihil præterea cūm mutes. Quāq; enim & interpretis alterius huius memineris lectionis, tamē cur sit uulgatæ illi præferenda, rationem abs te Riūi afferi probabilē uelim. RI. Quia cūm sit è uulgari consuetudine loquendi, & sermone communi (unde plæraq; transferunt Comici) desumptum, magis nescio quo pacto quadrare hoc loco, magis que Comicum esse uidetur. ut eius modi planè sit, quale illud ex eādē fabula.

Nunc me hospitem

Lites sequi, quā m hic mihi sit facilè atq; utile,  
 Aliorum exempla commonent. pro, quā m  
 difficile & inutile. Neque Liuius interim sic fugit lo  
 qui. uelut V. ab urbe condita. Quā m par uestrum fa  
 ctum est; quod in obsidione nuper, & quæ sequun  
 tur. pro quā m impar. qui tamen locus est in quibus  
 dam exemplaribus deprauatus. Idem VIII. Quā m  
 conueniens esse, propter Q. Fabium ciuitatem in

læticia, uictoria, supplicationibus, ac gratulationibus esse eum, propter quem deum delubra pateant, aræ sacrificiis fument, honore, donis cumulentur, nudatum uirgis lacerari in conspectu populi Ro. id est, quàm non conueniēs. & rursus VIII. Dec. III. Quàm compar consilium tuum, parentis tui consilio sit, reputa. pro, q̄ impar. Sed hæc explanata sunt in Castigationibus nostris, satis (ut arbitror) diligēter. HER. Probo ista Riui, & rationes tuas accipio. sed quod ad dubitandum etiam restat, id ex te exquiro. RI. Quid id tandē est? HER. Illud Nunc, quod tu quidem addis, nostri hodie codices non habent. RI. At hoc ipsum Hertēli uetustissimum quodq; cum impressum tum manuscriptum habet exemplar. Vtris uerò, re iudice, maior habenda fides? Vt omittam, quod Priscianus idem addit XIII. Fuit uerò ab scolis sublatum, ut opinor. qui cum legendum Inutiles putarent, particulam Nunc, ut rationi uersus obstantem, remouendam de medio censuerunt. HER. Exemisti scrupulum omnem. Nunc cur illud ex Heautontimorumenos sic legas, triumpho, si licet me latere tecto abscedere, contra quàm hactenus ferè alii, scire aueo. RI. Sic ut legā, sensus ipse exposcit. pro, Benè & præclarè mecū agitur, si sine detrimento licet tutū habere ex his angustiis receptū. hoc est, si me incolumē inde, quo sum temerè progressus, recipio. Persistit autē in allegoria, quā ab ratio-

44 IN M. TVLLIVM CICERONEM,  
 ne bellica sumpserat. Paulò enim antè, ita hercle (in  
 quit) in angustum oppidò nunc meæ coguntur co-  
 piz·pro, in tantam difficultatem adducuntur. Nam  
 magno esse in discrimine solent, qui temere sint in  
 loca iniqua, nec faciles ad receptum angustias pro-  
 gressi· neq; ferè impunita temeritate sese inde reci-  
 piunt. HER. Nunc demum intelligo Riùti, quàm  
 absurda hæctenus & ridicula huius loci cùm lectio  
 fuerit, tum interpretatio. Nam latere (ut uideo) no-  
 men hic est, non uerbum & Tecto participium à Te-  
 gor. Sed constat ne uersus, si latere media breui le-  
 gas. RI. Imò sic planè ratio metri postulat· nam  
 producta syllaba media, non constare Iambicū (est  
 autem octonarius) perfacilè quidem senties, si eun-  
 dem uoles in suos digerere pedes. HER. Illud Ab-  
 scedere, quo in significato hic ponitur, alibi ne uspiã  
 sic reperitur. RI. Quid ni? nam est ita Vegetius ali-  
 quoties usus. HER. Cupio eius afferri uerba, nisi  
 molestum est. RI. In III. de re militari, quo capite  
 docet, uiam abscedendi hostibus dandam, ut delean-  
 tur facilius fugientes, sic habet· Plurimq; rei militaris  
 ignari pleniorẽ uictoriam credunt, si aduersarios  
 aut locorum angustias, aut armatorum multitudine  
 circundederint, ut aditum non inueniant absce-  
 dendi. Sed clausis ex desperatione crescit audacia.  
 Paulò post· Nam cum abscedendi aditu patefacto,  
 mentes omnium ad præbenda terga consenserint,

multi more pecorum trucidantur. Sed & postea eodem utitur. Hoc obiter addam, ex hoc capite sic perperam illud in exemplari Parisiensi legi. Ideoq; Scipionis laudata sententia est, qui dixit, uiam hostibus, qua fugerent, non esse muniendam. Est enim particula Non tollenda. pro iter esse aperiendum, & uiam expediendam hostibus, qua abscederent. Cicero alicubi metaphoricis. Abiit ad deos Hercules. nunquam abiisset, nisi cum inter homines esset, eam sibi uiam muniuisset. & pro Murena. Hec omnia tibi ac cusandi uiam muniabant, adipiscendi obsepiebant. Qui illud Non addidit ( nisi si incuria quadam irrepsisse credere libet ) munire uiam, idem esse ratus est, quod omni clauso & intersepto aditu, præcidere hostibus fugiendi potestatem. hoc est, intercludere fugam, ut Cæsar loquitur. quod cōtrario modo habere, iam pueri ferè norunt. HER. Sic est, ut dicis. Ac tu quidem, mihi ut uideatur, mi Rivii, sic hūc Comici nostri explicasti locum, ut pro certo ferè atq; explorato habere possis, non improbaturus esse doctos hanc explicationem tuam. Nunc quid sit multimodis eo in uersu, quem ex Hecyra adduxisti primū, declarēs uelim. RI. Quasi ignores, multimodis, pro uahemēter ac multis modis accipi solitum. Qua de re Cicero<sup>1</sup>nis ex oratore uerba ponam. Vocales (inquit) sine uocalibus sepe breuitatis causa contrahabant ut ita dicerent, multi modis, uas argenteis, & quæ sequuntur.

<sup>1</sup> Multimo<sup>1</sup>  
dis pro ug  
hemēter.

tur. Tale illud. Multimodis sum circūuentus, morbo, exilio, atq; inopia. HER. In illo ex Adelphis iā ne me uis dicere, id quod ad te attinet? cur addis Idē RI. Sic in omnibus ferè antiquis reperi, uel excusis uel manuscriptis, Donati quoque editionibus consentientibus. HER. Cur igit est ab aliis omissum? RI. Credo, quod putarēt non constare octonariū, nisi tolleretur Id. HER. Quid ergo? cōstat ne uersus si addatur? RI. Quid ni? Est enim D in particula sequente, nempe Quod, elidendum. ita probè constat uersus. HER. Quid ego audio? etiam ne D eliditur? RI. Etiā. ut in illo Accii, quod Cicero ipse citat I. de diuinatione.

D. apud  
vereres  
lidi solitū

Rex, quæ in uita usurpant homines, cogitant, currant, uident.

Minus mirandum est. Quæq; agunt uigilantes, agitantq; ea

Si cui in somno accidunt. Sed in re tãta haud temere improuiso offerunt.

Proin uide, ne quem tu esse hebetem de putes æquè ac pecus,

Is sapientia munitum pectus egregium gerat.

Teq; regno expellat. nã idqd̄ de sole ostentat.

Populo commutationem rerum portet.

Per propinqua hæc bene uertuntur.

quod ad dexteram

Cœpit cursum ab læua signū præ

Auguratū est, rem Romanā publicam summā fore. In his Trochaicis bis D eliditur, primū tertio uersu in particula sed. Dein octauo, in particula Quod.

HER. Didici Riū iam, quod haecenus nesciui. RI. Et illi hoc (mihi crede) nescisse uidentur, qui in illo Terentii ex Adelphis Id sustulerunt. HER. Ita qui dem apparet. Sed quid in altero illo ex Phormione uersu tibi uult Horunc?

RI. Apostrophus est Her-  
teli pro, horūce qui genitiuus est pluralis, cuius me  
minit XIII. Prisc. M uerò in N cōuertitur, ita ut fit,  
C sequente. Ultima autē in horunce per synalæphā  
eliditur, propter initialem uocalē dictionis sequētis.

Horunc-  
pro hor-  
unce.

HER. Vnde uerò sic legendū coniectas? RI. Pri-  
mūm Iambici ratio sic exposcit. dein interpret ita le-  
gisse uidetur. postremò in uolumine quodā manu-  
scripto sic propemodū reperi. Nisi quis legere malit,  
horū nūc, ita ut codex habet Mersburgēsis.

HER. In illo quod proximè sequitur, cur legis Esse, cōtrā quod  
hodie ferè? RI. Sic in uolumine manuscripto reperi,  
cuius est à Nathero nobis copia facta. nec secus in  
impresso Fabricii nostri. Vt omittam, quòd sic anti-  
quissimū quodq; exemplar Donati, uelut Romanū,  
quod penes nos est, Argentoratēse, alia quēdā.

HER. Cūr in postremo uersu omittis Qui? Sic enim uul-  
gò qui minitatur malū. nec mihi secus legendū uide-  
tur. RI. Ex codicibus in mēbrana descriptis Bunan-  
nus, & Hassenstenianus, & Mersburgēsis non habēt

illud Qui. nisi quòd idem alterius manu est in spacio uersus additum. Sanè ratio metri hanc omnino particulã respuit. nec ullum accipit ea ommissa detrimentum sensus. Adiecta uidetur ab aliquo in sulso & ineleganti literatore, ut alia in Terentio multa. HER. Probas mihi ista Ritii, quæ dicis. Sed iam ad propositum si uidetur. nam mihi abunde abs te cumulareq; his de rebus, quibus de percõtabar, satis est factum. RI. Rectè mones. nam fuit hæc proluxa nimis à proposito sermone digressio. HER. At eã dē pergrata mihi perq; iucunda Ritii fuit. RI. Paulò pòst igitur, ubi se statuisse ait Cicero eorum neminem, qui uiuerent, nominare, sequitur. ne uos curiosius eligeretis ex me, quid de quoq; iudicaret. Legendum Herteli, eliceretis ex me, pro percontaremini, & quæreretis. Nam sic ad Articum quoq; Tamen dabant operam, ut eliciant sententiam meam. profisciscitando cognoscant & explorent, quid sentiam. lib. VII. Ad eundem T. elicere causam immutatę uoluntatis. pro expiscando & indagando resciscere. Sic & aliàs interdū. nam quorsum attinet in re haud dubia, exemplis uti non necessariis. Quo loco uerò de C. Macro Cicero, leges ad hunc modum. Hic etsi etiam in publicis causis probabatur, tamen in priuatis illustriorem obtinebat locum, ubi ferè alii. Hic si etiam. quanquam non me fugit, sic Ciceronem aliquoties loqui solitum. Pòst ubi de Cæpasiis fratri-

Elicere  
quid ab  
aliquo.



bus idem, sic leges Eodem tempore C. & L. Capasii fratres fuerūt· nam illa Et copula malè est in quibusdam omiffa. De his Capasiiis nō nihil Cicero in oratione pro Cluentio. Ac ne quid Herteli quasi cōniuenter transmittam aut diffimulem, illud quod paulò antè præcedit, legendum reor ad hunc modū· Et CrStalenus, qui se ipse adoptauerat, & de Staleno Aelium fecerat, quæq; sequuntur. Perperam enim in cunctis, quæ ipse uiderim, exemplaribus, Stalenus aut, si hoc rectè, malè alibi Stalenus. HER. Vnde isthuc coniectas? RI. Primùm omniū Cicero pro Cluentio eadem ferè sparsim & intercise, quæ hic de eodem Staleno narrat. Eius inter alia uerba sunt. Dico C. Aelio, Staleno iudici pecuniā grandē Strathiū Albium, ad corrumpendū iudicium dedisse. & post. Tum appellat hominem hilari uultu Bulbus, ut blā diffimè potest. Quid tu (inquit) Pacete: hoc enim si bi Stalenus cognomen ex imaginibus Aeliorum delegerat, ne si se Ligurem fecisset, nationis magis suæ, quàm generis uti cognomine uideretur. Ex his inquam, suspicari Herteli licet, hunc Stalenum esse eundem, cuius & hic Cicero meminit. HER. Veri simile hoc planè Riūi. RI. Iam uerò Stalenu illū in numero fuisse patronorum & egisse causas, sicuti nostrum hunc, ex eadem oratione liquet. sequitur enim. Atq; etiam casu tum (quod illud repente erat factū) Stalenus ipse nō aderat. causam nescio quam

apud iudicem defendebat. HER. Adducis me, ut assentiar. RI. Deniq; illum ipsum Stalenum condemnatum esse, & sicut de hoc ait Cicero, pœnas legibus & iudicio dedisse, in facinore manifesto deprehensum ex eâdem prorsus oratione liquet. Quid igitur causæ est, quin sic legendum putemus? HER. Fuit lapsus, ut talibus in rebus perfacilis, una tantum deprauata litera. Nam si de i literula, I feceris, erit locus suæ restitutus integritati. RI. Est Herteli, sicut dicis. Sed & similis in libro Topicorum ad Trebatium error esse uidetur. nam ubi alii, Staterio, alii Stagerio, quidam etiam Stalerio, ego Staleno legendum suspicor. Multi etiam in res (inquit) odiosas imprudentes inciderunt. ut Staterio nuper accidit, qui ea locutus est bonis uiris subauscultantibus pariete interposito. quibus patefactis, in iudiciumque prolatis, rei capitalis iurè damnatus est. E' Boëtii commentariis nihil colligi certi potest. neque enim rem satis de hoc siue Stalerio siue Staleno explicat. Cicero quidem pro Cluentio, nisi longè fallor, nostram lectionem comprobare uidetur. Iam cætera (inquit) nota sunt omnibus, ut cum illo Oppianicus egerit de pecunia, ut ille se redditurum esse dixerit, ut eorum sermonem omnem audierint uiri boni, qui tum consultò propè in occulto steterissent. ut res patefacta atq; in forum prolata, & pecunia omnis à Staleno extorta atque ere-

pra fit. Sed pergamus porrò. Quo loco fit de Q. Arrio mentio, sic uulgò qui fuit M. Crassi quasi secundarius, nec aliter sanè Budæus in Commentariis linguæ græcæ qui secundarium pro eo accipit, quod est, secundæ & à Crasso proximæ classis. Cæterum in uolumine ipso Romano legitur, secundanus quæ mihi quidem lectio quamuis non improbetur, præsertim cum sic Hermolaus quoque Barbarus in Castigationibus Plinianis, tamen haud scio, utram alteri præferam. Paulò post multorum que uel honori uel periculo inferuire. quomodo Q. Cicero studiose inferuire negociis amicorum ac periculis, inquit. Licet altera quoque mihi lectio placeat. Nam est una eademq; ferè utriusque uerbi significatio ut sit sensus. Q. Arrius omnibus exemplo debet esse, quantum in hac urbe polleat, hoc est, ualeat, in multorum seu honore tuendo & augendo, seu propulsando & defendendo periculo, studium omne collocare, aut neruos omneis contendere, ut dicitur. Est enim seruire metaphoricè interdum, alicui obsecundare, & addictum esse, ad aliquid magno sese studio dedere, rationè alicuius ducere, ut Cicero ipse loquitur. C. Cæsar VI. Ut cōtrouersiarū ac diffensionū obliuiscerētur, atq; omnibus omissis his rebus, huic bello seruirēt. pro in hoc bellū incūberēt, sic dicimus, seruire utilitati suæ, seruire rumori. &

Secundarius.

Seruire, pro addictum est & ad aliquid magno sese studio dedere.

h ü

Cicero II. Verr. Petitioni toto animo seruire propter iudicium non licebat. pro, non poteram omnē in ædilitate petenda curam & diligentiam meam ponere non omni cogitationi in petitionem incumbere. Idem alibi. Alios gloriæ seruire, alios pecuniæ. Rursus III. Verr. Nisi tecum colluisset, & tunc potius existimationi seruisset, quàm suæ. pro, tunc famę magis consuluisset, quàm suæ. Idē pro P. Sestio. Qui dicerent dignitati esse seruiendum. pro, dignitatis præcipuè rationem esse habendam. uel, omnia esse ad dignitatem referenda. Idem ad Brutum. Tibi nunc populo & scenæ (quod dicitur) seruiendum est. Sic Teren. Rus habitatum abii, concedens uobis, & rei seruiens. pro eo, quod est, in re quaerenda parandaq; elaborans. Cuius ad imitationē Cicero quoq; pro Sex. Roscio. Nonne (inquit) optatissimū sibi putant esse, filios suos rei familiari maximè seruire, & in prædiis colendis operæ plurimū studiūq; consumere. HER. Video Riti, quàm coacta sint, quæ ibi affert interpret. Res seruit diuitibus, quia abundant. rei seruiūt pauperes, quia se coarctāt ad angustias rei. RI. Ego isthæc neq; probo Herteli, neq; improbo. Mihi simplicius tamē rectiusq; esse uidetur (pace aliorum dixerim) si sic intelligas, ut nos ostendimus. præsertim cū sic aliās quoq; reperiatur. Sed ad rem. Sequitur paulò post. Duo etiam Metelli, Celer & Nepos, non nihil in causis uersati. ubi particula illa Non, in aliis

est omiſſa. Sed hoc quidem minutum nimis & leue. HER. Ita profectò ut dicis. Sed hæc leuia totum tamen ſenſum perturbant, ac multum aliis negocii faceſſunt, ſi qui fortè hunc libellum in manus ſumūt. Itaq; tibi gratiã habeo Riui, qui quæcunq; etiam minima propè curioſe perſequare. nihilq; omnino, quod quidem ad hãc ſpectet rationem, omittas. idq; porrò uti facias, te rogo. RI. Faciam Herteli ſedulò. Quo loco Brutus ait magnificè laudatum à Cæſare Ciceronem uideri, ſic paulò poſt ibidem. Hanc autem inquit gloriam testimoniumq; Cæſaris, tuæ quidem ſupplicationi nō ſolùm, ſed triumphis multorū antepono. Sic ut puto, deprauatè legitur. HER. At ego nihil hic uideo Riui, quo offendi poſſis. RI. Faxo uideas. Ego omiſſa particula Solùm, quã nec uetuſtus habet codex, legendum ad hunc modum cenſeo. tuæ quidem ſupplicationi non, ſed triūphis multorum antepono. Eſt enim ſenſus. Hanc laudē Cæſaris, qua Ciceronem non ſolùm principem atq; inuentorem copiæ dixit, ſed etiam bene meritum de populi Ro. nomine & dignitate, hãc laudem inquã, nō quidem ſupplicationi ipſius Ciceronis, quæ eius nomine decreta fuerit ( id quod illi primùm poſt urbem conditam togato contigit ) & his decreta uerbis. quòd urbem incendiis, cæde ciues, Italiã bello liberaſſet. ſed multorum triumphis anteponendam eſſe. Tacitè innuit, & quaſi aliud agens, ſupplicatio-

nem ipsam, quæ ob Rempublicam conseruatâ, nouo & inaudito genere, decreta Ciceroni fuerit, aliorum esse triumphis ampliorem. HER. Verisimile est, quod dicis. RI. Iam sic legendum esse, ommissa particula solum, inde coniecturam capio, quod coniunctio illa, quidem, nullum habeat locum, si legas non solum. Præterea non sic uerba solet collocare Cicero, ut hic collocata uides, uidelicet ut non solum in fine ponatur. nisi fortè diuidatur (ut fit) aliis interpositis uerbis. uelut ad Q. Fratrem. Ut eius ista odia non sorbeam solum, sed etiam concoquam. & alibi. Ut scires cum non à me diligi solum, sed etiam amari. Illud enim II. Verr. non huius simile est, cum dicit. Primum M. Metellum amicissimum, dein Hortensium Consulem, non solum, sed etiam Q. Metellum. pro, neque solum hunc uel, neque uerò hunc solum. Nam quod debuerit addere particulam illam Etiam, coniunctioni sed, non magnopere ad rem facit, propterea quod frequenter apud eum sed, pro sed etiam ponitur. HER. Quid ais? Cicero sic interdum loquitur? Atqui hoc in Seneca quidam mirantur, tanquam parum Ciceronianum, sed, pro, sed et. RI. Miretur qui uolet, sæpe tamen sic Cicero utitur. uelut VII. Verr. Ex quo iam intelliges, non modò tibi nullam defensionem, sed maximam uim criminum exortam. Sic pro Milone. Obliti estis non modò inimicorum Milo-

sed interdum pro sed etiam

nis sermones, sed nonnullorum imperitorū . & pro  
 Sex. Roscio. Considera nō modò in Vmbria atq; in  
 ea uicinitate, sed in his ueteribus municipiis, quę stu  
 dia à patribus familiās maximè laudentur. Idem I.  
 Acad. Si eos non modò copia rerum auxeris, ut effe  
 cisti, sed uerborum. Sic & aliās sepe. Sic Verum apud  
 eundem, pro uerum etiam ponitur. Velut VI. Verr.  
 Ec'quæ ciuitas est, non modò in prouinciis nostris,  
 uerum in ultimis nationibus, aut tam potens, aut tã  
 libera, &c. C. Cæsar I. Commentariorū. Populi Ro.  
 hanc esse consuetudinem, ut socios atq; amicos nō  
 modò sui nihil deperdere, sed gratia, dignitate, hono  
 re auctiores uelit esse. pro, sed et. Fabius I. Ut nō uer  
 sus modò censoria quadam uirgula notare, & libros  
 qui falso uiderentur inscripti, tanquàm subdititios  
 submouere familia permiserint sibi, sed autores alios  
 in ordinē redegerit, alios omnino exemerint nume  
 ro. Et mox ibidem. Excutiendum omne scriptorum  
 genus, nō propter historias modò, sed uerba, quę fre  
 quenter ius ab autoribus sumūt. pro, sed etiã uerba.  
 Verum quid in re nota ac confessa Herteli cōsumo  
 tempus exemplis? In hoc uerò Latini græcos imitã  
 tur, qui  $\alpha\lambda\lambda\alpha$  interdum, pro  $\alpha\lambda\lambda\alpha$   $\chi\theta\epsilon$ , uel  $\alpha\lambda\lambda\alpha$   $\delta\iota\upsilon$   $\chi\theta\epsilon$  ponunt,  
 id quod accuratè sanè adnotauit ille or̄ inū hodie u  
 triusq; linguę doctissimus Budęus. unde, si lubet, exē  
 pla petas. HER. Quàm sunt temerarii, qui tam facilè  
 dānant in autoribus, quod sibi lectū non meminere.

Verum,  
 pro uerū  
 etiam.

RI. Atqui uide Hertēli, ne commune sit hoc istis cū  
Cicerone crimen. HER. Ain' uerò Riūi? RI. Sic  
est. An non frequens est ista apud ueteres illos, & Ci-  
ceronis ætate superiores locutio, facere contumeliā?  
HER. Apud Terentium semel atque iterum legere  
memini · sicuti apud Plautum quoq;. RI. Das'ne  
autem mihi (ut alterum omittam) Terentium pro-  
prio & eleganti uti sermone? HER. Quid ni? quan-  
do & Cicero ipse elegantiam ei sermonis tribuit, C.  
Cæsar puritatem, Grāmatici ad unum omnes pro-  
prietatem. RI. Iam'ne igitur intelligis, quantum  
in se flagicii admiserit Cicero tuus, qui locutionem  
istam, facere contumeliam, in Antonio sit reprehen-  
dere ausus? HER. Non tā mehercule Riūi, quòd  
excidisset antiquos sic loqui solitos, ut opinor, quàm  
quòd hic modus dicendi, eius ætate sit usurpari desi-  
tus. RI. E' Gellio, Catonis quoq; possem testimo-  
nio ad hanc rem comprobendam uti · nisi scirem,  
quid mihi obiecturus ex Bruto Ciceronis esses.  
HER. Quid tandem Riūi? RI. Antiquiorem esse  
huius sermonem, & quædā horridiora uerba. HER.  
Rem mediusfidius diuinasti. licet haud ignorem,  
quid de eodem Catone Cicero · nempe eloquentia  
cum fuisse tanta, quantam illa tempora atq; illa ætas  
in ciuitate Romana ferre maximam potuit. RI.  
Equidem Hertēli sentire tecum cogor, nimirum ab-  
usu cotidiani sermonis remotū iam Ciceronis ætæ

Contumeliam fa-  
cere.



te fuisse, contumeliam facere pro eo quod posteriores, afficere cōtumelia dixerint. Nam & alia eius modi apud eum plæraq; reperiuntur. uelut illud, quod nunc obiter incidit, ex Oratore eiusdem. Non scire quidem barbarum iam uidetur, inquit. nescire dulcius. Quid enim barbarum ne tandem uidetur, quod est Terentius usus: Is enim in Eunucho sua. Sed istā (inquit) Thaidem non sciui nobis uicinam. & in Hercyra non sciunt ipsi uiam, domū qua redeant: pro, nesciunt. Quanquam quidem (ne hoc dissimulem) non simpliciter barbarum Cicero uideri ait, sed addit, iam quasi dicat, nostro seculo, uidelicet elegantiore & doctiori. quo seculo nescire, quod esset pronuntiatio audituq; lenius ac suauius, magis placere cœpit. sicuti & alia plæraq; quorum idem in Oratore suo meminit. Sed iam pergamus, si uidetur, & reliqua ordine persequamur. HER. Ego uerò quid malim Riui, quàm ea audire, quibus suus Cicero restituitur nitor. id quod aliqua ex parte (dico me hercule ut sentio) futurum per te spero. RI. Alii id fortè præstabūt, quibus aut excellentius ingeniū, aut eruditio maior. Ego tale de me nihil promittere ausim, cui cū cetera defunt, tum uerò ocium. Scis enim quàm sim multis implicitus molestis laboriosisq; negociis. & hæc res Herteli, uacuum ab omni cura animū desiderat. Verum ad rem. Vbi Cicero meminit C. Ruscii, ad hunc modum legitur. Fuit accu-

Nō scire,  
apud Te-  
rentium,  
pro ne-  
scire.

fator inquit uetus quo accusante Chirtilium, Sifen-  
na defendens dixit. Hic Ro. uolumen, C. Rutilium  
non, ut codices recētiore, Chirtilium. Non procul  
inde, ubi de Cæsaris Cōmentariis idem, sic inter alia  
uulgò. Ineptis gratum fortasse fecit, qui uolunt illa  
calamistris inurere, sanè eisdem homines à scri-  
bendo deterruit. Legendus, uolent, tempore futu-  
ro. HER. Quid hoc sibi uult Riūi, calamistris inu-  
rere? RI. Hoc significat, adhibito picturato ali-  
quo genere sermonis, quæ à Cæsare nudè & breui-  
ter erant, & omni penè ornatu remoto conscripta,  
comptiora splendidioraq; reddere. & illam simpli-  
cem & inaffectedatam mundiciem Commentario-  
rum Cæsaris, tanquam rudem nimis, fucatiore quo-  
dam expolire cultu orationis. <sup>μὴ φοβηθῆναι</sup> ab iis, qui cala-  
mistro comam inurunt, & capillum intorquent, ac  
crispant. Sic in Oratore Cicero. Tum remouebitur  
omnis insignis ornatus, quasi margaritarum. ne ca-  
lamistri quidē adhibebuntur. Idem alibi in proprio  
natioq; significari. Non frons (inquit) calamistris  
notata uestigiis. Inde calamistrata coma, apud eun-  
dem pro P. Sestio, & calamistratus saltator, in ora-  
tione post. reditū in Senatu. Eadē apud Plautū uox  
reperitur, in Asinaria, ni fallor. Virgilius XII. Aen.  
etiam dicit crines uibratos calido ferro, intelligit cala-  
mistro crispatos. ut adnotauit ibidem Seruius. Sed  
quid tā multa in re aperta, præsertim apud te, qui ca-

Calami-  
stris inu-  
rere.

melius. HER. Vrimur Germani, talibus in rebus, simili ferè metaphora, atq; hic Cicero. RI. Noui. Paulò pòst, ubi de Hermagorè disciplina mētio obiter fit, sequitur. Ea dat rationes certas & præcepta dicendi quæ si minorem habeant apparatus (sunt enim exilia) tamen habent ordinē, & reliqua. Verus codex quæ & si minorē habent apparatus. Nam respondent inuicem, Ersi, & quod sequitur, Tamen. Non multò pòst, ubi de Visellio Varrone Cicero cōsobrino suo præcepta quædā, & cum idcirco obscura, quia peracutum rapida, & celeritate cæcata oratio. Idē codex, data. Vtrū rectius, aliorū esto iudiciū. Mihi prior lectio, haud sanè displicet. Rursus ibidem statim, ubi de L. Torquato. Summa uerborum & grauitas & elegantia atq; hæc omnia uitæ decorabat grauitas & integritas. Legēdum, dignitas & integritas. Iam ubi de duobus Lentulis Cicero, sic inter alia ibidem. Quidquid habuit, quantumcunq; fuit, illud totum habuit ex disciplina. Est hic perperam omissum in recens. Quis E. quod addendum esse, sicuti est in uoluntate ipso Ro. it nullas moneam, quis non uideat. Nā si supra quoq; M. Piso (inquit) quidquid habuit, haec ex disciplina. Quo loco rursus Hermagoræ præceptorum meminit, sic quidam perperam. Quibus & si ornamenta non satis optima dicendi, & quæ sequuntur. Legendum, opima tamen si hic bellè habet. Interuagius, tum Cratander.

Vocat autem non satis opima ornamenta dicendi, quòd (ut idem superius dixit) exilia sint illa Hermagoræ præcepta, & minorem habeant apparatus. Quæ de causa opinor, quidam aridissimos uocat Hermagoræ libros. Iam particulam, Satis, non addi superlatiuo, imò planè cum superlatiuo significatu dissidere, nemo ferè tam rudis, qui nesciat. HER. Sanè Rati, ut dicis. RI. De M. uerò Cælio loquens, sic inter alia Cicero ceciditq; postea, quàm eos imitari cœpit, quos ipse peruerterat. Hæc uera lectio, cõsentiente codice uetusto, tamen si ne uulgata quidem illa displicet. Pòst, ubi anxiam illam Calui, nimium in se inquirentis diligentiam notat, sic inter alia metuensq; ne uiciosum colligeret, etiam uerum sanguinem perdebat. Itaque eius oratio nimia religione attenuata, doctis & attentè audientibus erat illustris, à multitudine autem & à foro, cui nata eloquentia est, deuorabatur. Sunt qui legant, etiam uerū sanguinem perdebat, quomodo reperi in exemplari quodam Veneto. Sed est (nisi fallor) uulgata lectio melior. nam & Fabius ad eundem modum lib. X. de Caluo Inueni (inquit) qui Ciceroni crederent, eum nimia contra se calumnia uerum sanguinem perdidisse. cap. I. Sunt præterea, qui hic legant, doctis & acurè audientibus. Nos hoc in medium relinquemus. HER. Cur Cicero Calui orationem dicit nimia religione attenuatam? & cur eandem ait à multitudine

deuorari solitam: RI. Antiquum obtines hoc tuū Hertēli, ex aliis ut quæras, quæ ipse optimè nosti. Sed age, quia sic iubes, mos tibi geratur. Quanquam quidem sus Mineruam, ut dicitur. HER. Ut tu semper tui es similis: RI. Per nimiam ergo religionē, intelligit diligentiam nunquam satis sibi facientem, & curam illam supra modum anxiam & scrupulosam, quæ sæpe noscere solet. Propter hanc Cicero Calui orationē, doctis quidem illustrem fuisse ait, sed ab multitudine deuorari, hoc est, non intellectā satis transmitti solitam. Ob hanc autem Diligētiā Calui, Quintilianus orationē eius & sanctam, & grauem, & castigatam esse testatur. Idem affirmat hunc ipsum Caluum fuisse imitatore[m] Atticorum. fecisseq; illi properatā mortem iniuriam, si quid adiecturus, nō si quid detracturus fuit. Corn. Tacitus in dialogo de oratoribus testatur Caluum quidem Ciceroni uisum exanguem, ac tritum Ciceronem uerò à Caluo malè audisse tanquam solutum & eneruē. De hoc ipso oratore ad hunc modū Seneca VII. Declamationum. Caluus (inquit) qui diu cum Cicerone iniquissimam litem, de eloquentiæ principatu habuit, usq; eò cōcitatus actor fuit, ut in media oratione eius exclamauerit Vatinius reus. Rogo uos Iudices, num si iste disertius est, ego damnandus sum: HER. Sanè gratum est, quòd hæc addideris Rivii. RI. At ego uerebar Hertēli, ne essem fortasse lon-

62 IN M. TVLLIVM CICERONEM,  
 gior. HER. Quid; tu'ne longior; non mehercule  
 mihi, cui ut cætera cuncta, sic hoc corollarium ual-  
 de placet. RI. Optimè uerò. sed pergamus. Quo  
 loco uulgò. Nec illam præclaram Thucydidis ni-  
 mis ueterem, tanquam Anicianam notam persequē-  
 dam. Volumen Romanum, Thucydidi, consentiēte  
 exēplari Veneto. Pōst, Probas Lepidi orationes. pau-  
 lūm hic tibi assentior. modò ita laudes, ut antiquas.  
 quod itē de Africano, de Lælio. Codex Ro. quod idē  
 de Africano. sed prior lectio bene habet. Tametsi  
 quod ad sensum ipsum attinet, haud magno in di-  
 scrimine ponā, utrum legas. HER. Hic in mētem  
 uenit, quod tu in Adelp. adnotasti Riūi. Ille ut item  
 contra me habeat. ubi alii idem. cūm sit prior lectio  
 melior. RI. Tale est Herrēli, quod nō multò pōst  
 sequitur apud Ciceronē. nec in hoc ironiam duxeris  
 esse, quòd eam orationem mihi magistrā fuisse di-  
 xerim. Hic Ro. codex, dixeris esse. sed quis priorē le-  
 ctionem, quam in aliis reperi, magis probandam ne-  
 get; Duxeris, pro credideris, iudicaris. Vt obiter ostē-  
 dam, non semper esse codices uerustos recētioribus  
 emendatiores. Ansam autē errori dedit, uocum ipsa-  
 rum affinitas. Sic in fine primi de Legib. Quā cō-  
 temnet, quā despiciet, quā pro nihilo putabit ea,  
 quæ uulgò ducuntur amplissima; ubi perperam ho-  
 die, dicuntur. cūm sit prior lectio uerior. pro cense-  
 tur, existimantur. HER. Tale illud in Hecyra. Bis

Locus ex  
 l. de Le-  
 gibus.

facere stultè duco: ubi malè aliū, dico, id quod ipse re-  
 ctè obseruasti. Tale illud item in primo Commen.  
 Cæsaris: ubi se diutius duci intellexit Cæsar. Etenim  
 perperam editio Basiliensis, dici. RI. Tales mendæ  
 obrepunt festinantibus typographis. cuiusmodi  
 est apud eundem VI. Quòd hæc de Vercingetori-  
 ge usu uentura, opinione perceperat. Quo in loco  
 præceperat legendum, sic prorsus exposcente sensu  
 quamuis & Riccius ipse Lugiensis priorem ex Aldi-  
 no codice lectionem sequatur, sed mehercule perpe-  
 ram. Eodem modo III. belli ciuilis: ac iam animo ui-  
 ctoriam percipiebant. Legendum haud dubiè, præ-  
 cipiebant. Sic Liuius sæpe est hoc uerbo usus. uelut  
 V. Decad. IIII. Ne se ad bellum Achaicum, aut rem  
 ullam, quam sua quisque opinione præcipere pos-  
 set, crederent missos esse. & alibi Consul quia non  
 pugnam cominus, sed locis oppugnandis, futuram  
 præceperat animo. pro, animo præsumpserat.  
 HER. Sic nimirum Virgilius VI. Omnia præcepi,  
 atque animo mecum antè peregi. & XI. Exultat que  
 animis, & spe iam præcipit hostem. RI. Rectè di-  
 cis Herteli. Et quia maximi omnium poëtae memi-  
 nisti, ego locum ex poëta adducam, qui sit huic pro-  
 ximus, & quanquam longo forsan interuallo, tamen  
 proximus. HER. Iam intelligo Riūi, te Ouidiū di-  
 cere uelle. RI. Volo inquam uerò. Apud hūc III.  
 Fastorum sic uulgò:

64 IN M. TVLLIVM CICERONEM,

Omnibus agricolis, armentorumq; ministris

Iliadz fratres iura petita dabant.

Et exemplar quidem in Pergamenis descriptū, quod penes nos est, mirè uetustū, sic planè habet. sed est in aliis, armentorumq; magistris, id quod mihi profectò non displicet. Nam & in Buc. Virgilius, & Cicero Verr. VII. pecoris magistrum dicit. Sed & prior lectio bene habet. ut per ministros, intelligas pastores, quibus præerat pecoris magister. Similis ambiguitas est in illo II. Pastorum.

Hæc fuit illa dies, in qua Veientibus aruis

Tercentum Fabii, ter cecidere duo.

Nam est in aliis, Veientibus armis. quomodo & manuscriptus codex habet. Ut autem uersus ipse, sic sensus utrumuis admittit. Sed & postea eodem libro

Vidit ab excelso Faunus utrunq; loco.

Ita ferè hodie. in manuscripto uerò est. ab excelso iugo. quæ mihi lectio magis probatur. Sed ad Cæsarem. Duo in eo deprehendi nonnullius momenti errata. HER. Quæ nam? RI. Dicam Herteli. Quo loco Curio ad milites, inter alia sic ferè hodie. At credo si Cæsarem probatis, iam me offenditis. Legendum uerò, nisi me longè coniectura fallit, in me offenditis. pro, ego displiceo uobis, est quod de me fortè queramini. Sic enim & Cicero est hoc uerbo usus, cum aliàs sæpe, tum in prima ac prolixa illa ad Q. Fratrem epistola, cum ait, Sed si quis est, in quo



iam offenderis, de quo aliquid senseris, huic nihil cre-  
 dideris. pro, qui in suspicionem uenerit, quem pec-  
 casse aliqua in re intellexeris. Idem VII. Verr. Cū  
 multi uiri fortes in cōmuni incertoq; periculo bel-  
 li, & terra & mari sæpe offenderint. pro, res minus cō-  
 modè gesserint. Est autē hypophora Curionis, cui  
 mox idem per anthypophoram respondet, diligen-  
 tiam suam, fortunā, uictorias commemorans, osten-  
 densq; non esse causam, cur in ipso milites offendā-  
 tur. HER. Nunc ad alterum erratum. RI. Ter-  
 tio belli ciuilis, ubi hodie ferè, Velle se de maximis re-  
 bus cū Cæsare loqui, si sibi eius facultas detur. Huc  
 adsunt pauca rei confirmandæ causa, ut de composi-  
 tione acturi uiderentur. Legendum, adsuunt. pro,  
 addunt, affingunt. à uerbo assuere, quod à suo, unde  
 & dissuo. Sed hæc (ut dixi) errata, operarum incuria  
 irrepunt. Cuiusmodi & illud est, apud Ciceronem  
 III. Off. Hanc cupiditatem si quis honestam esse di-  
 cit, amens est. probat enim legum & libertatis inte-  
 ritum, earumq; oppressionem tetram & detestabilē  
 gloriosam putat. Legendum, si quis honestam esse  
 ducit. pro, iudicat, existimat. Tale illud quoque. Ut  
 enim pictores, & hi qui signa fabricantur, & ueri etiā  
 poëtar, suum quisq; opus à uulgo considerari uult, ut  
 siquid reprehensum sit à pluribus, id corrigatur. Le-  
 gendum, & uerò etiam poëtar, nam sic aliās quoq; lo-  
 quitur. uelut pro Murena. Qui & per se, & per suos,

& uerò etiam per alienos defendatur. Idem ad Plancium. Qua quidem uoluntate esse erga Atticum, sæpe præsens & illi ostendisti, & uerò etiam mihi. Miror hoc nec Heruagium, nec Cratandrum emendasse. Tale illud etiam in oratione pro domo sua ad Pontifices: Vclitis, iubeatis, ut M. Tullio aqua & ignis interdicitur. Legendum enim, aqua & igni, casu ablatiuo. id quod sequentia ibi declarant. Non tulit ut interdicitur, quid ergo? ut interdictum sit. Subauditur uerò, aqua & igni. Vides, non posse aliter legi. Sed & in oratione pro Plancio tale erratum est. Cui nomen meum honori fuisset, ei meas præsentis preces non putas profuisse: legendum, meas præsentis preces, ut sit præsentis, casus genitiui. Et I. de Nat. deorum. Mihi enim non tam facile in mentem uenire solet, quasi uerum sit aliquid, quam quare falsum. Legendum, quare uerum sit aliquid. Sed ad propositum reuertamur. Quo loco se Philone Cicero principe Academicæ, præceptore usum testatur in studio philosophiæ, sic ferè exemplar uetus. In quo hoc etiam comorabar attentius, quòd etsi rerum ipsarum uarietas & magnitudo, summa me delectatione retinebat, tamen sublata iam esse in perpetuum ratio iudiciorum uidebat. Hæc sanè uera lectio. Quibus uerò in uerbis recentiores peccet codices, per se ipse quiuis licebit sumptis exemplaribus perspiciat. Nam est primum ommissa particula Hoc, quæ hic idem significat, quod cò, uel tan-

to. Dein uocula isti respōdens, nempe Quòd, omif-  
 fa. Postremò perperam adiecta coniunctio Sed, ad  
 particulam Tamen. Ita uidelicet totus locus corru-  
 ptus, & sensus omnis perturbatus est. HER. Pro-  
 fecto Riūi, nunquam crediturus eram, usque adeò  
 esse deprauatum hunc Ciceronis libellum, nisi tot  
 in eo mendas ipse commonstrasses. Et interim (si  
 diis placet) credimus nos emendatos habere codi-  
 ces. Miror uerò, quem tandem docti potuerint ex  
 illa corrupta lectione colligere sensum. RI. Quid  
 mirum Hertēli, si annos intra mille amplius & quin-  
 gentos deprauata sunt in Cicerone pluraque, cum  
 Ciceronis arate (id quod ipse alicubi ad Q. Fra-  
 trem testatur) mendose libri & scribi & uariare solē-  
 rent. Tametsi non semper est in librariorum conferen-  
 da culpa, siquid fortè sit in autore aliquo depraua-  
 tum. Multa sunt à sciolis mutata, multa quoque  
 casu aliquo aut deperdita, aut corrupta. Pluraque  
 eiusmodi sunt, ut quamuis improbare, quasi que  
 adulterina reiicere non possis, diuersam tamen ipso  
 ex autore afferre lectionem queas. HER. Cupio  
 mihi Riūi hoc dici planius. RI. Exemplo planius  
 faciam. Notus est uersus ille Ciceronis, qui est in I.  
 Officiorum.

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ. nob  
 In hoc ne tandem aliquid deprauatum putas? HER.  
 Nihil prorsus Riūi. RI. Erego Hertēli idem ferē

68 IN M. TYLLIVM CICERONEM,  
sentio præsertim cum eodẽ modo in Inuectiua Sal-  
lustius nec Ouidius aliter ad Pisonem, cum canit,  
Sic etiam magnæ iam tunc Cicerone iuuentæ  
Laurea cesserunt facundis arma togatis.

Quid autem facias, cum diuersam ex ipso Cicerone  
afferre lectiõnem possim: nimirum hanc, concedat  
laurea laudi. HER. Cupio ipsius audire uerba. RI.  
Audies nam in L. Pisonem, postquam prius hemi-  
stichium declarauit, Cedant arma togæ: quo intelli-  
gi uelle ait, bellum ac tumultum paci atque ocio cõ-  
cessurum, mox subdit. At in illo altero inquit hæres.  
Concedat laurea laudi. Imò mehercule habeo tibi  
gratiam hærerem enim, nisi tu me expedisses. Nam  
cum tu timidus ac tremēs, tuis ipse furacissimis ma-  
nibus detractam cruentis fascibus lauream, ad portã  
Esquilinam abiiecisti, indicasti non modò amplissi-  
mæ, sed etiam minimæ laudi lauream concessisse.  
Hæc Cicero. Sed an de industria ipse, hoc alterum  
supposuerit, præsentis negotio seruiens, & quò inui-  
diam offensionemq; declinaret & effugeret, doctis  
coniectandum & iudicandũ relinquo. Nam & aliàs  
est simili uasfricie usus. Nũc, ut ad institutum rede-  
amus, ubi Crander. Erã cum Stoico Diodoro, qui  
cum habitauisset apud me, cumq; uixisset, nuper est  
domi meæ mortuus. Hic uolumen Ro. cum Quin-  
to uixisset. quasi de Q. fratre loquatur. Sed error cre-  
do ex compendiaria illa scribendi ratione, & ex no-

tis illis manauit, quibus multum ueteres utebantur.  
 Nam altera illa probè lectio quadrat & ea colloca-  
 tione uerborū Cicero, qua hic utitur, aliās etiam uti  
 amat. Meminit autē huius Diodori, cū libro V.  
 quæstionū Tusc. ubi multos eum domi suæ annos  
 uixisse ait, tum II. acad. his uerbis. Diodoro quid fa-  
 ciam Stoico, quem à puero audiui, qui mecum uixit  
 tot annos, qui habitat apud me, quem & admiror &  
 diligo. Quo ex loco suspicari quis possit, ad hūc mo-  
 dū hic esse legendū. qui cū habitauisset apud me,  
 mecum; uixisset, nuper est domi meæ mortuus. quo-  
 modo & Heruagius ipse. quanquam quidem ceteris  
 refragantibus. Error sane facilis, propterea quòd cū  
 præcedat me, librarius aut per negligentiam alterū  
 me omiserit, aut (ut est audacia) cū frustra ibi po-  
 situm suspicaretur, data opera sustulerit. Prius illud  
 uerisimilius est. nam sic in Heautontimorumeno  
 quoq; Terentii, illo uersu. Quid tute tecum. CH. di-  
 cam, ut ut erat, mansum tamen oportuit. Perperam  
 quidam omisso altero te, quod quidem per *inuen* ad-  
 ditur pronomini, Quid tu tecū? legunt. cū lectio  
 prior uetustissimi cuiusq; cōsensu uoluminis firme-  
 tur. Sed & V. Tuscu. similis omnino error est. nā ubi  
 de Democrito Cicero, sic uulgò ferè. Et cum alii sæ-  
 pe, quod ante pedes esset, non uiderent, ille infinita-  
 sem omnem peregrinabatur, ut nulla in extrema-  
 te consisteret. Legendum, ut in exemplari quodam

reperi, Ille in infinitatem omnem peregrinabatur. Quia bis ponebatur In, alterum est negligentia quadam (ut mea fert opinio) omissum. Sed hac super re nimis. Non multo post, sic uulgò Deinceps inde multæ quas nos diligenter elaboratas, etiam quàm elucubratas afferebamus. Legendū haud dubie & tã quàm elucubratas, consentiente ueteri codice. Facilis aut & procliuus error fuit, una tantum litera mutata. HER. Sed illa mutatio Riui, quã opere sensum ipsum perturbat. RI. Fateor. Iã illud leue, ubi hodie. Atq; ut multa omitam, in hoc spacio, & iis post ædilitatem annis. Legendum & in his post ædilitatē annis. Quo uerò loco de Hortensio iterum, sic inter alia ibi. Ergo ille Crasso COS. & Scæuola, usq; ad Paulum & Marcellum COSS. floruit. Legendum addita præpositione, à Crasso cõsule. ut est in uolumine ipso Ro. Haud procul inde, ubi de oppressa Rep. Cicero, ita ferè hodiè. Quibꝰ me forti animo esse oportere censebas, quòd ea gèssissem, quæ de me, etiam tacente, ipsa loquerentur, mortuoq; uiuerent. quæ si rectè esset, salute Reip. sin secus, interitu ipso testimonium meorum in Rep. consiliorum darent. Sic quidem & Heruagius & Cratander, nec sanè perperam, si quid ego iudico. Opposuit enim inter se Reipublicæ salutem Cicero, & interitum eiusdem. ut sit sensus. Quæ testimonium darent, meorum in Reipublica consiliorum, uel salute Reip. si rectè esset,

uel, si secus, interitu ipso. Cæterum exemplar R. o. illa postrema sic habet. Quæ si rectè esset saluti Reip. sin secus, interitu ipso, & quæ sequuntur. Hanc lectionem probat Budæus in Annotationibus suis in Pandectas & in his uerbis, quæ si rectè esset saluti Reipublicæ, subintelligendum ait, perpetuam mihi gloriam compararent. Dein continuandum. sin secus, interitu ipso testimonium meorum in Repub. consiliorum darent. Vtra lectio uerior, alii uiderint nam ego mihi non liquere fateor. HER. Quantū doctis exhibent negotii, & quantum caliginis offundunt mendæ librariorum. RI. Vides ne igitur (id quod ego de principio dixi) quantum illi suscipiant onus, qui emendare bonos autores instituunt. quorum me esse de numero haud sanè inficior. quamquam maiore tamen studio & sedulitate, quam aut iudicio, aut ingenii facultate. HER. Magnū mihi R. u. onus, quis neget? sed dignum me hercule, in quo neruos omneis industriæ suæ contendant. RI. Videlicet publicæ utilitatis ergo. HER. Maximè. Quid enim maius studiosis quisquā, melius uel præstare possit, quā si fontes ipsos, unde omnes hauriunt, plurimaquē in scripta sua deriuant, perpurgare studeat. RI. Siquidē aliis Herteli idem uideretur. Sed ad reliqua. Non longè à fine Dialogi, sic uulgò. Nōne cernimus, uix singulis ætatibus binos oratores laudabiles cōstitisse. Quid si legas, extitisse. HER. Sanè

72 IN M. TVLLIVM CICERONEM,  
 aprius quadrare uidetur. RI. Ego propter nescio  
 quem scrupulū Hertēli, mutare nihil aufim. Sed uis  
 ne ex Oratore quazdā, ceu auctariū addamus? HER.  
 Mihi quidem pergratum feceris. RI. Ergo ubi de  
 tribus dicendi generibus Cicero, sequitur ad hunc  
 modum. Est autem quidā interiectus intermedius,  
 & quasi temperatus, nec acumine posteriorum, nec  
 fulmine utens superiorum, uicinus amborū, in neu  
 tro excellens, utriusq; particeps, uel utriusq; (si uerū  
 querimus) potius expers. Nonius quo loco cinnum  
 esse ait commistionem plurimorum, unde & con  
 cinnare dicatur, hunc locum citans, ita legit. Vt cin  
 nus amborum neutro excellens, utriusq; particeps.  
 & quæ sequuntur. Ego, utra lectio uerior, haud dum  
 mecū statui. Aliquid est enim, quod adnotauit No  
 nius. Itaq; hoc, si uidetur, in medium relinquamus.  
 Tamen si Picus ille Mirandulanus, quadam ad Poli  
 tianum suum epistola, sic legisse planè uideatur, ut  
 Nonius citat. Paulò post, ubi de Demosthene Cice  
 ro ut oratore circumspēctissimo, sic inter alia ferē.  
 Ac tamen in hoc ipso diligenter examinās uerborū  
 omnium pondera, repræhendit Aeschines quazdam  
 & exagitat. Legendum, diligenter examināte uerbo  
 rum omnium pondera. pro, accuratè perpendenti  
 momenta singularum uocum. ut ad Demosthenē  
 ipsum, non Aeschinem referatur. Hoc enim Cicero  
 dicit. Quamuis Demosthenes diligenti examine

Cinnus,  
 cōmixtio  
 plurimo  
 rum.



cuiusq; uerbi pondus expēderit, non tamen Aeschini effugere calumniatū posuit. Quò uerò loco de Thucydide idem, sic uulgò: Huius tamē nemo neq; uerborum, neq; sententiarum grauitatem imitatur. Sed cum mutila quædam & hiantia locuti sunt (quæ uel sine magistro facere potuerunt) germanos se putant esse Thucydidas. Legendum suspicor, Thucydidas, consentiente exēplari uerusto, & idem exposcente sensu. quasi dicat, meros sese uerosq; credunt esse Thucydidas. uel, ipsissimos Thucydidas, ut Plautina uoce utar. HER. Tecum sentio mi Riiti. nam aliter si legas, quantum, dii boni, elegantiz deperierit. RI. Illud sanè leue, uixq; obseruatu dignū, ubi Cratander & quidem exagitator omnium rhetorū, hunc miratur uirum. Legendū, hunc miratur unū. Ita codex quoq; uetustus. & est mea sentētia rectius, ut unum Cicero opposuerit ei, quod dixit exagitator omnium. Postea, ubi hodie: Ergo ille tenuis orator, modò sit elegans, nec in faciendis uerbis erit audax, & in transferendis uerecūdus & parcus, & in priscis reliquisq; ornamentis, & quæ sequuntur. Hic Ro. codex: & in transferendis uerecūdus, & parcus in priscis, reliquisq; ornamentis & uerborum & sententiarum demissior. HER. Ostendit uidelicet, parçē esse priscis utendum & modicē. quod & Fabius monuit. RI. Rectè Herteli & uerè. Quò loco, postea, de orationis luminibus & quasi insignibus agit, sic

74 IN M. TVLLIVM CICERONEM,  
inter alia • aut cum gradatim sursum uersus res  
ditur, uel (ut alii) tenditur • ibi perperam Cratan-  
der, redditur. Post ubi de sententiarum ornamen-  
tis • Et uerò nullus ferè ab eo locus sine quadam con-  
formatione sententiæ edicitur. Fabius ita citat • Enim  
uero nullus ferè ab eo locus, & reliqua. Apud eundè  
Dicitur est, non (ut hic uulgo) Edicitur, consentien-  
te exemplari Ro. Paulò post • Sic igitur dicit ille,  
quem expetimus, ut uerset saepe multis modis ean-  
dem, & unam rem, & hæreat in eadem commore-  
turq; sententia. Legendum Hærceli, ut uerset saepe  
multis modis eadem, & una in re hæreat, in eademq;  
commoretur sententia. Mox ubi de prosopopœia  
Cicero • ut hominum sermones mores que descri-  
bat • ut muta quædam eloquentia inducat. Legen-  
dum, loquentia inducat. quomodo Fabius quoque  
citat lib. IX. cap. I. Postea • An quibus uerbis sacro-  
fium alienatio fiat, docere honestum est, ut est, qui-  
bus ipsa sacra retineri defendiq; possint, non hone-  
stum est. In aliis defunt hæc uerba, ut est. quæ mihi  
quidem addenda uidentur. Hoc modo ad Atticum  
XII. Quamuis prudens ad cogitandum sis, sicut es.  
& I. Tusc. Sed hic quidem quamuis eruditus sit, sicut  
est, hæc magistro concedat Aristoteli. & Philipp.  
II. Quamuis enim sine mente, sine sensu sis, ut es.  
Paulò post. Quamuis sis, ut es, uiolentus & furens.  
Sic & alias. Illud non prorsus leuè, ut opinor. Nam

ut in legendo, si animus in discendo prospiciet, quid sequatur. Legendum. Nam ut in legendo oculus, sic animus in dicendo, & reliqua. Hic uerò bene sane Heruagius, perperam alii. Nam oculi prospiciunt in legendo quid sequatur, animus uerò in dicendo, itidem ut in legendo oculi. In fine Dialogi: Nec in hac modo re, quæ ad uulgi assensum spectat, & ad aurium uoluptatem, quæ duo sunt, ad iudicandum leuissima. Sic hodie ferè, & (ut puto) recte. Cæterum alii, quæ duo sunt ad iudicandum nouissima, uelut Crinitus, Beroaldus, alii quidam, consentiente exemplari Ro. Vera lectio uerior, aliorum est iudicium. Ego priorè magis præbo. HER. An nò Gellius Riti adnotauit, Ciceronè his uerbis nouissimus & nouissimè tanq̃ non latinis abstinuissè? RI. Sancè quidè. HER. Cui hic igitur docti nouissima legunt? RI. Hoc loco Herteli Gellij sententiã refellunt. HER. Poterãt uel id facere aliis locis? RI. Poterant & faciunt. HER. Quibus tandè aueo enim audire. RI. Cicero pro Roscio Comædo. Itaq; breui tẽpore, qui ne in nouissimis quidè erat histrionibus, ad primos peruenit comædos. Idè in epistola ad Octavianũ. Nã ut ordiar ab initio, & perducã ad extremũ, & nouissima conferã cũ primis. HER. Miror hæc fugisse Gelliã. RI. Hęc obiter in Oratore obseruaui. HER. Ego uerò magnã tibi Riti gratiã habeo, qui isthęc addere non sis grauatus. Nunc nisi molestũ sit, à te libenter im-

Nouissimus, ubi nã apud Ciceronè

petrarim, ut quos te in epistolis Tullianis obserua-  
se audio, mecum locos communices. RI. Nimis  
id quidem longum Herteli, cuncta nunc, quacuncq;  
tibi obseruarim, percensere. Igitur hæc, si uideretur, ali-  
ud in tempus differamus. HER. Amabo te Riui,  
aliquot saltem, unde de ceteris coniecturam faciam,  
locos ostendas. RI. Quia sic urges, de loco uno

atq; altero tecum, ut in mentem forte uenerint, com-  
municabo. Igitur lib. II. epistola cuius initium Pri-  
mum tibi, ut debeo, gratulor, sic prope finē. In quo  
cum obiurgarer, quod nimio gaudio penē desiperē,  
ita me defendebā. Ego uoluptatem homini nimiam.

Agere,  
pro effin-  
gere & ex-  
primere.

Legendum. Ago uoluptatem hominum nimiam.  
pro, effingo & exprimo. Sic enim exemplar quoddā  
calamo descriptum & eo in significatu, quo hic uti-  
tur Cicero, cum aliās idem, tum paulo quoq; supe-  
rius est hoc uerbo usus. Eodem libro, epistola XI.  
sic hodie perperam. Spero me integritatis laudem  
consecutum non erit minor ex contemnēda, quam  
ex conseruanda prouincia spes triumphi. In qua sa-  
tis gloriose triumpharem, si non essem tam diu qui-  
dem in desiderio rerum mihi charissimarum. Legē-  
dum. Spes triumphi inquis. ut sit quasi <sup>in</sup> Calii,  
per præoccupationem à Cicerone posita. Dein sub-  
iungatur <sup>ut triumphet</sup>. Satis gloriose triumpharem, &c.  
Nam in illo, quod antecessit, Non erit minor, subau-  
ditur laus. quod est ex sentētia superiori repetendū.

Iam lib. III. epistola VIII. cunctis in exemplaribus, quæ quidem ipse uiderim, uerba quædam defunt. Locum subiiciam, ut est in manuscripto exemplari. Ut ad omnia quæ tui uelint, ita ad sim præstò, ut me nò solùm omnia debere tua causa, quæ possum, sed ea etiam, quæ non possum, putent. HER. Sanè uideo perperà esse in recentioribus ommissa illa uerba, quæ possum, sine quibus sententia minus apte cohæret. Miror Aldum ista hominem diligentissimum non obseruasse, cum hosce epistolarum libros ederet.

RI. Et ipse mehercule idem Herteli miror. Quamquam ne quid apud te dissimulem, multa ille quoque perperam (pace uiri dixerim) cum in his, tum in illis ad Atticū epistolis excudit. HER. Quale est, quod tu adnotasti, illud ad Plancum. Ut hoc, quod te tua sponte facturum esse certò scio, honoris nostri causa libenter, non prolixè, sed celeriter facias. quum legendum sit, libenter, prolixè, celeriter facias. qua de re tu diligenter in Castigationibus tuis. RI. Tale illud quoque Nemo doctus unquam (multa autem de hoc genere scripta sunt) mutationem consilii inconstantiã dixit esse. Hæc uera lectio, sed quàm sic apud illum hic locus malè distinctus, non ignoras. HER. Noui, sed iam ad id quod cœperas, si uideretur. RI. In epistola, quæ proximè sequitur, sic locum illum leges: An qui in bello, cum omnium nostrum coniunctum esset periculum, suo & certorum ho-

minum minimè prudentium consilio uteretur,  
 cum magis communem censemus in uictoria fu-  
 turum fuisse, quàm incertis rebus fuisset: ubi perpe-  
 ram alij, cæteris in rebus fuisset: cum esse debeat, in-  
 certis. pro adhuc dubiis uidelicet nondum parta æ-  
 que explorata uictoria. Est enim sensus. Qui incer-  
 ta uictoria nihil cōsilia nostra moratus est, quid eū  
 diiudicata iam belli fortuna facturum fuisse cre-  
 dimus: Facit nobiscum exemplar in pergamentis  
 descriptum. cuius nobis copiam fecit clarissimus  
 EQV. Guntherus à Bunaw. Est etiam perperam  
 hic locus in codicibus aliis distinctus, non absque  
 perturbatione sensus. Jam lib. VI. epistola item VI.  
 ne nos quidem nostra diuinationo faller. Sic manuscri-  
 ptum uolumen. non, nec nos quidem. Tamen si  
 haud me fugit, alterum quoque esse apud Cicero-  
 nem frequens. In fine eius epistolæ sic leges. Tu cu-  
 ra, ut cum firmitudine te animi, tum etiam spe opti-  
 ma sustentens. Hic mirè uariant exemplaria, quod fa-  
 cilè senties, si consuleris. Epistola ab hinc V. sic le-  
 gendū. Itaq; si quis mihi aditus erit de tuis fortunis,  
 id est de tua incolumitate, in qua sunt omnia agēdi  
 (quod quidem cotidie magis ex eorum sermoni-  
 bus adducor ut sperem) agam per me ipse, & moliar.  
 Hic perperam alij, in qua sunt omnia agenda. recla-  
 mante sensu. Libro VII. epistola I. iis de ceterationi-  
 bus, quas tibi ipse ad arbitrium tuum comparabas.

Sic uolumen in membrana descriptum ubi recens  
 tiores codices, quas tibi ipsi, Quin autem prior le-  
 ctio magis sit Tulliana, nemo opinor negarit, qui sit  
 diligenter in scriptis Cicetonianis uersatus. nam  
 sic ferè Cicero, me ipse, mihi ipse, à me ipse, Te ipse,  
 tibi ipse, à te ipse. Scipse, sibi ipse, à se ipse. Ac Fenestel-  
 lam quoque tale apud Ciceronem quiddam obser-  
 uasse, testatur alicubi Seneca. Sic I. de diuinatione:  
 In templo Herculis ualua clausa repagulis, subi-  
 to se ipsa aperuerunt. & II, Dubitans plarunque, &  
 mihi ipse diffidens. Ibidem. Alter mortem sibi ipse  
 consciuit. Rursus: A constantia atq; à mente, atque  
 à se ipse discessit, I. de Oratore. Ita in iudicio capitis  
 pro se ipse dixit. II. Virtus autem, quæ est per se ipsa  
 laudabilis. & III. Ut uita se ipse priuaret. Sed quo-  
 niam exempla in hoc genere infinita sunt, nos mo-  
 dum aliquem & finem faciamus oportet. Quor-  
 sum enim attinet Herteli copiam, quam possim,  
 cum dubitatio in re nulla sit, persequi. Igitur ad in-  
 stitutum: Eadem epistola. Quid? quod ne id qui-  
 dem lepōris habuerunt, quod solēt mediocres ludi:  
 ubi in aliis. Quid? ne id quidē. Notus est Herteli hic  
 dicendi modus, quo particula ista binæ, quid quod,  
 eleganter uenusteq; iunguntur. Qua de re exempla  
 afferre quid attinet, cum sint illa passim apud Cice-  
 ronē obuiar. Libro VIII. epistola II. Calii ad Cicero-

117



nem. Hic tibi strepitus, fremitus, clamor, tonitruū,  
 & rudentum sibilus. In codice manuscripto est & ru-  
 dentum similis sibilus. quę una demum uera lectio.  
 Perperam etiam Heruagius, ridentium, cōtrā ac cæ-  
 teri ferē omnes. Est autem hic locus (nisi fallor) ex ue-  
 teri aliquo pōeta sumptus. Nam integer Trochaicus  
 est, Strepitus, fremitus, clamor, tonitruum, & ruden-  
 tum sibilus. quo Trochaico Cælius magna cum gra-  
 tia abutens, de suo addit & affert, Similis (quod res  
 pōscere uidebatur) quō commodius clariūq; rem  
 ostēderet. Epistola ultima eius libri. Nam mihi sen-  
 tio bonam mentem iracundię timore ablatam. Le-  
 gendum, iracundię tumore. ex uolumine Buniano.  
 & est ea planē uera germanaq; lectio. Sic Virgilius,  
 tumidam iram dixit, VI. Aen. de Charonte loquēs-  
 tumida ex ira tum corda residūt. Idem VIII. tumor  
 omnis & irę Confedēre deūm. & Seneca. Nec datū  
 tempus, quo resideret tumor publicus. pro publica  
 ira defœuiret & deflagraret. Sed & ille Tragicus in  
 Octauia. Tandem ut residat pectoris nostri tumor.  
 pro cesset ac conquiescat. Quo & ipso in loco tamē  
 perperam quidam, Timor. Vtrobique error fluxit de  
 similitudine uocum. HER. Si humanitati tuę Riūi  
 constare uoles, haud āgre feres, spero, hanc interpel-  
 lationem meam. Aueo enim scire ex te, quā nam de  
 causa maximē, tumida ā pōetis irā dicatur. RI. Id-  
 circo (ut opinor) Hertēli, quōd in iratis exēstuet atq;

Ira curti-  
 mida di-  
 ca.



ebulliat ab imis præcordiis sanguis·ut est à philoso-  
phis proditum. Præterea ut mare uentis agitatum atq;  
procellis, intumescere dicitur·unde illud Virgilii,  
aut freta ponti Incipiunt agitata tumescere, & tumi-  
dum æquor, frequēs apud poetas·sic tralatione qua-  
dam à mari ducta, tumor dicitur illa animi excandē-  
scentis & ira percipi commotio, & quidam quasi fer-  
uor concitatioq; perturbatæ mentis. Proinde aptè  
quoque Virgilius in illo ex VI. Aen. quod est paulò  
antè citatum, uerbo residunt utitur, nimirum persi-  
stens in metaphora. Nam proprie aliàs·cùm uenti  
posuere, omnisq; repēte resedit Flatus. Sed & I. Aen.  
idem, multitudine concitatam ac populum com-  
motum atq; furentem, tempestati maris comparat.  
Contra, ut animum ira tumentem lenire ac placare  
dicimur, sic Virg. tumida æquora placat. pro, trā-  
quilla reddit. & alibi, Tybris ea fluuium, quàm lōga  
est, nocte tumentem Leniit. Quòd si pauca quædā  
Ciceronis, quæ non nihil ad præsentem faciant que-  
stionem, audire uerba uoles, ea quoq; Hertēli subii-  
ciam. HER. Pergratum profectò mihi feceris.  
R I. Is postquàm hosce ex Homero citauit in III.  
Tusc. uersus,

Corq; meum penitus turgescit tristibus iris,  
Cùm decore atq; omni me orbatū laude recordor.  
Sic mox subdit· Num manus affecta rectè est, cùm  
intumore est: aut num quippiam membrum, tumi-

m

82 IN M. TVLLIVM CICERONEM,

dum ac turgidum non uiciose se habet: Sic igitur inflatus & tumens animus in uicio est. Sapiētis autem animus semper uacat uicio, nunquam turgescit, nunquam tumet. At, cū iratus animus, eius modi est. nunquam igitur sapiens irascitur. Sed de hoc quidē fatis. Libro IX. epistola ad Papiriū Patum, cuius inī riū, Dupliciter delectatus sum tuis literis, sic in fine hodie: Sed cura, si me amas, ut ualeas ne ego te iacēte, bona tua comedā. Statui enim tibi ne ægroto quidē parcere. No. Marcellus adnotauit, comedim hic esse legendū, pro Comedam. quō Plau. quoq; in Bacch.

Quod dem scortis, quodq; in lustris comedim, congregat pater.

Neq; uero mihi displicet illud comedim uerbum antiquum. nam uerisimile est hunc locum, Ne ego te iacēte bona tua comedim, sicuti alios plerosq; ex uere aliquo esse poēta sumptum. Quod quidam, credo, parum aduertentes, cū insolentia uerbi offenderentur, locum deprauarunt. Vnum etiam addam ex epistolis Ciceronianis locum. dein finem faciā. Igitur lib. XV. epistola II. ubi hodie ferē, Vt ego regem Ariobarzanen, Heuseben, & Philoromæū tuerer. In exemplari manuscripto est. Vt ego regē Ariobarzanem *in uerbo xxi. quod quidam in uerbo* tuerer. quæ quin uera sit lectio, ambiguum haberi, atq; in dubium uocari non debet. Hæc mihi ferē de multis pauca occurrebant, quæ nunc tecum, precibus tuis adductus, commu-

nicarem. HER. Ego uerò cum libenter isthac au-  
 diui, tum gratiam habeo tibi, qui non grauatè morè  
 studio meo gesseris. Quà in re cum humanitatè &  
 facilitatem agnosco tuam, tum memoriã istam ad-  
 miror, diligentiamq; singularem. RI. Ego me her-  
 cule tibi aliquid Herteli negatè à me desiderãti, esse  
 arbitror nefas. Itaq; nullos unquam refugiam, tibi  
 ut obsequar, labores. Nec est quicquam omnium re-  
 rum, quod malim, quàm egregiam aliquam tibi ope-  
 ram nauando, hoc animi mei studiũ, & hanc erga te  
 uoluntatè declarare. HER. Scio ego isthuc Riũ.  
 Et quoniã mihi nihil unq̃ abnuis uolũtas tua, dabis  
 opinor hanc ueniam, ut percũctanti quiddã mihi re-  
 spondeas. Nam unum etiam est, quod ex te querere  
 uelim. RI. Quid id tandem est? HER. In libro  
 II. de Finibus, sic alicubi legitur. At uerò illa, quæ Pe-  
 ripatetia, quæ Stoici dicunt, semper tibi in ore sunt,  
 in iudiciis, in senatu, & quæ ibi sequũtur. Deinde. Hęc  
 cum loqueris, nos Varrones stupemus. tu uidelicet  
 tecum ipse rides. Quid sibi uelit, nos Varrones, non  
 herele intelligo, deq; hoc Riũ, quid sentias, audire fa-  
 nè uelim. RI. Geram tibi morem. In codice quo-  
 dam manuscripto, sed eodem uahementer deprau-  
 uato, cuius est copia nobis facta, à clarissimo uiro  
 Gunthero à Bunaw EQV. sic legitur. nos barones  
 stupemus. & in spacio ipso, quod uersus dirimit, lite-  
 rulis minutis, barones, id est, rudes. Ex hac glossa,

## 84 IN M. TVLLIVM CICERONEM,

Bardi, p  
 & rudi, i  
 rudi.

fic legendum suspiçor. Hæc cum loqueris, nos bardidi stupemus. tu uidelicet tecum ipse rides: pro, nos stulti, & ingenio tardi, & hebetes, qui uafriçiem tuam non sentiamus. Nam ea uoce Cicero & alias utitur. uelut in libro de Fato. Stupidum esse Socratem dixit & bardum. Græci sanè *βραδύς* tardos dicunt: inde Latini per transpositionem literarum bardos uocant. Plautus in *Perfa*. Nimis tandē me quidem pro barda & pro rustica reor habitam esse abs te. *επιπομπή* autē loquitur Cicero. Nos bardidi, nimirum, qui te sedulō ista loqui putemus, aut talia dicētem Stoicum esse, non Epicureum, credamus. Tu uidelicet tecum ipse rides. ut qui adeo faceret nos ludas, & ea dicas, quæ nō sentias. Sic aptē Hertēli cohærent, quæ postea sequuntur. Sed hæc coniectura sit. HER. Coniectura me hercle probabilis. RI. Quod si prior lectio magis placet, sic forsan intelligēdum erit. Nos Varrones, id est, Academicorum & Stoicorum decreta tenentes, ut Varro, stupemus. Tu uidelicet tecum ipse rides: nimirum Epicureus. Præstitit autem Varro dictis disciplinis tempore Ciceronis. HER. Hæc sententia Riūi amico nostro, uiro doctissimo atque humanissimo placet. RI. Quem quidē ego Hertēli propter eximiam rerum maximarum cognitionem, & omnium ingenuarum artium scientiam, facio mehercule plurimū. HER. Id ego mi Riūi, ut nullus dicas, probè noui. Gaudeo uerò, quali illum

erga te semper animo perspexi, tali te in illum uoluntate iudicioq; esse. RI. Hic quoq; auctarium addā. Initio statim libri III. de Finibus, sic uulgo perperā. Etenim sit impudēs, si uirtuti diutius repugnet, aut si honestis iucunda anteponat, aut pluris esse contēdat dulcedinem corporis, & utilitatem, ex ea uē natā læticiam, quā grauitatem animi atq; constātiā. Legendum suspicor, astipulante codice manuscriptorum aut pluris esse contendat dulcedinem corporis titillantem, ex ea uē natam læticiam & quæ sequuntur. Ita sensus quoq; exposcit. Titillantem enim dixit dulcedinem, quæ cum iucunditate quadam percipiatur sensibus uel quæ iucundo quodā motu sensus hilaret. HER. Hic sanè Riūi meam sententiā adscribes tuā. RI. Iam uerbo titillare Cicero idē

Titillare  
iudicij

tidem utitur in hunc modum, uelut I de finibus. Nā si ea uoluptas esset, quæ quasi titillaret sensus, ut ita dicam, & ad eos cum suauitate afflueret, & illabere-  
tur. Titillaret dixit, pro iucundē moueret & permulceret. Idem III. Tusc. Modò enim ne suspicari quidem se quicquam bonum, nisi sensus quasi titillaretur uoluptate. Inde titillatio apud eundem, I. de natura deorum, pro commotione suauis iucunditatis in corpore. At has leuiores ducis uoluptates, quibus quasi titillatio (Epicuri enim hoc uerbum est) adhibetur sensibus. pro, quibus dulciter iucundeq; sensus mouētur. & in Catone maiore. At non est uolupta-

Titillatio

tum tāta quasi titillatio in senibus. Sed ignoscas quę  
 so, quod in re nota adeo & peruulgata tam diu cōmo-  
 rer, in eaq; multus sim atq; insolens. HER. Valde  
 mi Riūi diligentia tua placet, qui tam adcuratē ista  
 obserues. RI. IIII. de finibus, ubi uulgò. Mihi autē  
 æquius uidebatur Zenonē cum Polemone disceptā-  
 tem, à quo quæ essent principia naturæ acceperat, à  
 cōmunibus uiciis progredientē, uidere ubi primūm  
 insisteret, & unde causā cōtrouersię nasceretur. Vo-  
 lumen ipsum Bunanum habet. à cōmunibus initiis  
 progredientē. idq; rectius. nam sic sensus quoq; ipse  
 exposcit. Vocum affinitas locum errori fecit. HER.  
 Fortē nūc incidit Riūi, ex epistola L. Cornelii Balbi,  
 ad Ciceronē, quæ est in IX. ad Atticū, quod minus  
 hætenus intellexi. Id explicari abs te mihi uelim. RI.  
 Quid id est? HER. Sic initio statim Balbus. Sub po-  
 steaquā literas cōmunes cum Oppio ad te dedi,  
 ab Cæsare epistolā accepi. & cętera. Quid sibi nā ue-  
 lit, Sub posteaquā, scire aueo. RI. Fortasse pro eo  
 posuit, quod est, Sub id tempus, postquā literas ad  
 te dedi. aut si hoc displicet, tanq̄ paulò coactius, legē  
 dum forsan, S. V. B. E. pro, Si uales, bene est. quo sum  
 solebant initio epistolę uti. Dein. Posteaq̄ literas cō-  
 munes, & quæ sequuntur. HER. Probabile sanē est,  
 quod dicis, ut ex S. V. B. rudis quispiā, & antiquitatis  
 imperitus, iunctis literis, effecerit Sub. RI. Vnum  
 atq; alterum ex actionibus in Verrē locū addam, si

placet, priusq̄ ab hoc colloquio discedamus. HER. Mihi uerò optatius accidere nihil potest. RI. Ergo in I. ubi uulgò ferè. Quoties ille tibi potestatem opinionemq̄; facturus sit, ut eligas, utrum uelis, factum esse, nec ne? uerum esse, an falsum? Hic rectè Heruagius, quoties ille tibi potestatem optionemq̄; facturus sit, ita prorsus exposcente sensu. & sic aliàs apud Ciceronem optio ponitur. uelut pro Cecinna. Si mihi optio detur, utrū malim defendere. pro, si optio defera. & III. Offi. Quid? quòd Theseus exegit promissum à Neptuno? cui cū tres optiones Neptunus dedisset, optauit interitū Hippolyti filii sui. pro, cū ter optandi potestatem ei Neptunus fecisset. ubi tamen Cratæder optationes. pro eo quod est, optiones. Cæteris quidem editionibus reclamantibus. Ad eundem modum Cicero II. Acad. quæstionū. & pro P. Quintio. HER. Vocū affinitas hic quoq̄; ansam errori dedit. RI. Est, sicut dicis Herteli. Pòst ubi hodie. Redit ad se, atq; ad mores suos. nam ex illa pecunia magnā partem ad se uertit. Hic (ni fallor) legendum, uerit. ut ad Verris ipsius nomen festiuiter alludere uideatur. & hæc lectio aptè quadrat, ad ea, quæ præcedunt. Similis est in IIII. Verr. locus. nam ubi hodie. Quo die Siciiliā tetigit (uidete, satis ne paratus ex illo omine urbano, ad euertendā prouinciā uenerit) statim Messana literas Halesam mittit. Legendū enim suspicor, ad euertendam prouinciā. Alioqui

Optionē  
facere.Optionē  
dare.

haud satis quadret illud de omine urbano, quo ex nomine ipso Verris (ut idem paulò antè dixit Cicero) quid in prouincia facturus esset, perridiculi homines augurabant. Verùm de hoc tu Herteli, ut uoles, statuas nos in medio relinquemus. HER. Fuit lapsus sanè procliuus ac facilis. Quid si apud Fabium quoque Riui simili errore est locus ille corruptus, cum ait Multa ex hoc Cicero in Verrem, sed ut ab alijs dicta modò futurum ut omnia uerteret, quum diceretur Verres. An nò rectius autem, uerteret: Mihi quidem (sed tu hæc Riui melius) ita uidetur. RI. Quid ni rectius hoc: cum sic uetustissimū quodque habeat exemplar HER. At Bebelianum, quod nūc omnium creditur emendatissimum, uerteret haber, incuria forsan operarum. RI. In II. ubi legitur Deinde se ducturos & dicendo & accusando facilè ad ad ludos Victoriæ. Hic excusando legendum esse, non (quod in exemplaribus quæ ipse uiderim, reperitur) accusando, ex Asconio liquet cuius hunc in locum uerba sunt DEINDE SE DVCTVROS. dilaturos, moram facturos. DICENDO. longa oratione. EXCVSANDO, cur interdum non dicant. Admittabantur enim excusationes, multæ etiã, pro reo, aut occupationis alicuius, aut malæ uoletudinis. HER. Est ne hæc menda in exemplari Basiliensi? RI. Est. HER. Quid etiam ne in Argentoratensi? RI. Etiam. HER. Perge porrò, RI. In III.



quò loco Cicero Philodamum unà cum filio securi percussum dicit, mox sequitur. Iam iam Dolabella neq; me tui, neq; tuorū liberūm, quos tu miseros in egestate ac solitudine reliquisti, misereri potest. Hęc uera lectio. Liberūm, pro liberorum dixit, antiquo illo more, cuius in Oratore idē meminit. Sic in fine huius actionis. Quis est enim, qui tueri possit liberūm nostrorum puericiam contra improbitatem magistratuum: Perperam præterea quidā, in quibus Heruagius, Nemo iam Dolabella. quum priorem Asconius lectionem citer, atque item Quintilianus, cuius ex libro IX. uerba sunt. Nam ut eadem dici solent aliter atq; aliter, manerq; sensus elocutione mutata, ita & figura sententiæ, plures habere uerborum figuras potest. Illa est enim posita in cōcipienda cogitatione, hęc in enunciāda: sed frequētissime coeūt, ut in hoc, Iam iam Dolabella neq; me tui, neq; tuorū liberūm. Nam oratio ā ludice auersa, in sententia iam iam & liberūm, in uerbis sunt schemata. Hactenus ille. Dicit uidelicet, præter apostropham quæ sit sententiæ, duas hic esse uerborū figuras, in Iam iam, epizeuxin. in Liberūm syncopam. HER. Dii immortales, q̄ planè Fabius, quàm disertè: ut dubitanti hac de re alicui, magnum pondus accedat ad tollendam dubitationem, hic locus Quintiliani, tam apertè, quid legendum sit, indicantis. Sed quid illud Riūi, quòd sic nullus uerbum antecedit nominatiuus?

Potest,  
imperfona-  
liter  
positum.

RI. Hoc & aliàs apud Ciceronem fieri constat, & quidem persèpè, ut illud Potest, infinitiuo iunctum, tanquam ex his unum, quæ tertiæ demùm personæ figura dicuntur, sine nominatiuo antecedente ponatur. hoc est, simile quiddam patiatur illis uulgò dictis impersonalibus. HER. Velim hoc (nisi molestum est) exemplo declares. RI. Obsequar uoluntati tuæ. Cicerone libro de finibus primo. Neque enim disputari sine reprehensione, nec cum iracundia aut pertinacia rectè disputari potest. & post idem de sapientia loquens. Quæ præceptrice in tranquillitate uiui potest, omnium cupiditatum ardore restincto. Idem II. Ut è Platone intelligi potest. Ibidem. Cui obsisti non potest. Rursus. Nihil enim est, de quo minus dubitari possit. Sunt id genus apud eum sexcenta. HER. Nunc si uideretur, pergas. RI. Sequitur post, eadem actione. Quæstorem sese in Senatu expectare dixit. pro inde quasi non & quæstor sine prætore possit rationem referre, ut tu Hortensio, ut omnes eodem modo sine quæstore prætor. Dixit idem, Dolabellam imperasse, omnem magistratibus conscriptis, qua causa placuit, probauerunt. Hæc postrema sunt ad hunc modum legenda. Dixit, idem Dolabellam impetrasse: Omen magis P. conscriptis, quam causa placuit. probauerunt. Hæc est germana lectio: nam prior illa, quam omnes ad unum codices habent, cum est ipsa quidem longè à uero aliena, tum nullam ueri præ se

ferre similitudinem uideretur. HER. Quantopere, dii boni, est hic deprauatus locus? RI. Quòd si, quæ præcedunt, & quæ subsequuntur, diligēter examines Herteli, haud aliter legendū esse dices. Causam, uocat excusationē Verris. Omen autē ideo dixit, quòd eius exemplū afferret Verres, qui pecuniarum dāna tus esset, ut adnotauit diligēter Asconius. Placuit ergo P. conscriptis, id est, Senatui, magis omen, quàm excusatio ipsa Verris. Igitur probauerunt. nimirum futurum augurantes, ut Verres æquè, ac Dolabella, cōdemnaretur. HER. Vocū affinitas errori locū fecit. imperasse, pro impetrasse. Omnē, pro omen. Magistratibus conscriptis, pro magis P. cōscriptis. Qua causa, pro quæ causa. RI. Sic est. Iam in hac ipsa actione, ubi sic inter alia Cratæder. Alia porrò pecunia, ne accusaretur data. nihil ad me. nihil ad rem pertinere arbitror. datam quidē esse tum inter omnes recenti negotio facilè constabat. Ex Q. Asconio sic legendum esse constat. Alia porrò pecunia, ne accusaretur, data. cui sit data, nihil ad me. Ita ut legas, sensus quoque ipse exposcit. nec aliter ex uetustis quidam Grammaticis citat. ut bene uidelicet sic quoque Heruagius, contrà quàm locum illum superiorem. VI. Verr. ubi hodie, Sed earum artificem uem'nam? rectè admones. Polycletū esse dicebār. egēdum, Sed earum artificem, quē? quem'nam? itè admones. quomodo Terentius in Eunucho.

Quid? aliud uolui dicere? Ehē, curate, &c. notus est enim locus: & post. Quid? quid uenire in mentem nunc possit mihi? Quid nam? qui referam, & quæ sequuntur. VII. Verr. ubi uulgò, Ita ne uero? quibus fuit portus apud eum, contra quem arma tulerunt, iis apud te, cuius nullum in Rep. unquam monumentum fuit, mors & cruciatus erat constitutus. Legendum, cuius nullum in Rep. unquam momentum fuit. pro, qui nullius in Rep. autoritatis ac potentia, unquam fuisti, qua fretus ipse, quos Pōpeius saluos incolumesq; seruauerat, eos tuo supplicio afficeres, ac morte cōdemnares. Sed iam surgamus

Hertēli, & ut tempus monet, curando corpori operā demus. HER.

Age ut uis Riūt. nā si qua  
restant, aliās persequē  
da esse puto. ●

RI. Fiat.

(\*)

# IO· RIVIVS

LECTORI.



T. Ciceronis opera, quæ de multis reliqua, temporum iniuria fecit, innume-  
ris ferè scaterè mendis, ii demum sen-  
tiunt Lectòr, qui aut antiqua uolumi-  
na conferre, aut exactius singula rimari non grauan-  
tur. Quotus autem quisque id facere studet? atque  
adeò quotus quisq; est, cui non persuasum planè sit,  
Ciceronis libros esse, ut si cuiusquam, emendatos  
maxime? De uulgariter doctis loquor non de præ-  
stanti quadam doctrina præditis. Hæc cum ita ha-  
beant, operæ precium me facturum rebar, si quàm  
multis passim mendis contaminatus sit excellentis-  
simus autor, ut eunquè ostendere conarer. Hæc præ-  
cipua Dialogi huius occasio Lectòr. Vt non sum au-  
tem ueterem uspiam mutare lectionem ausus, idq;  
quò â repræhensione temeritatis abessem, ita si, quod  
aut probabilibus argumentis, aut ueterum collatio-  
ne codicum deprauatum esse depræhendissem, id  
seorsim adnotarem, non magnopere mihi uicio da-  
tum iri putabam. Neque eò castigationes hæc nos-  
tras edimus, quò hisce fretus quis priorem statim  
lectionem inducat aut expungat sed ut doctiori-

bus, & ocio maiore abundantibus, adcuratius quor  
dam expendendi, & autoris optimi, maxi  
mi, ab indignis mēdis uindicādi  
occasionē, & quasi an  
sam præbe  
mus.

Bene uale, ac  
sedulitatem nostram  
boni con  
sule.

(\*)